Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Daniel Habichhorst

# Ana- & Epigrammatum Andreae Danielis Habichthorsti, Phil. Mag. & P. L. C. Epulum Vernale, Septem Missibus vel Fasciculus dispositum cum Catalogo

Rostochi[i]: Richelius, 1660

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727403737**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0001
DFG

Cq-1671[1-10]

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0002
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0004
DFG

# ANA-& EPIGRAMMATUM

ANDREÆ DANIELIS
HABICHTHORSTI,
Phil. Mag. & P. L. C.

# EPULUM VERNALE,

Septem Miſſibus vel Faſciculis diſpoſitum cum Catalogo.

ROSTOCHI,
Op. JOH. RICHELII,
Sen. Typ. An. cIↃ IↃc L[illegible]

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0005
DFG

*Magnificis, Pl. Rev. Conſult. Nobi-*

VI-

DN. JOH. QVISTORPIO, Th. D.

PP. Paſt. Jac. Ac. Roſt. h. t. Rectori.

DN. CASP. MAURITIO, Th. D.

& P. P. Eccleſ. Roſt. Superintend.

DN. JOH. CHRIST. OTTONIS,

Th. D. & P. P.

DN. HERM. LEMKEN, J. D.

& PP. itidemq; Reip. Roſt. Syndico.

DN. HENR. RUD. REDEKERN,

J. D. & P. P.

DN. JAC. SEB. LAUREMBERG,

J. D. & P. P.

DN. CASP. SWARZKOPFF,

J. D. & Advoc.

DN. JAC. SCHOFFEN,

Reip. Roſt. Secretario.

Eorundem

DNN. COMMENSA

Nobil. Præſtantiſs. Politiſs. & Do

*EPULUM HO*

*Officiosè*

*liſ. Ampliſſ. Excellentiſſ. Clariſſimis*
RIS
DN. CASP. VIEREGGEN,
Reip. Roſt. COS.
DN. AUG. VARENIO, Th. D.
Hebr. & Catech. Chriſt. P. P.
DN. MICH. COBABO,
Th. D. Math. P. P.
DN. NIC. RIDEMANNO,
Th. L. Eccl. Mariano.
DN. M. HENR. MüLLERO,
Eccl. Mar. & Græc. Ling. P. P.
DN. M. JOH. HARBERDING,
ad Æd. Sp. S. Eccl.
DN. JOACH. LINDEMANNO,
Eccl. Petrino.
DN. M. ENOCH. SWANTENIO
Eccl. Jacobæo.
q; omnium
LIBUS omnibus ac ſingulis
ctiſſimis DNN. STUDIOSIS,
*C VERNALE*
*dico & honorificè offero.*

Nimirum

NImirum *Vernale* hoc *Epulum* meum luci publicæ expoſiturus, qvinam ad id honorificè potiſſimum vocandi Hoſpites, qvæqve huic eligendæ menſæ & qvorum deniqve id offerendum eſſet palatis, non adeò multùm diſpicere debui, qvod ad *Vos, Patroni & Fautores!* Veſtrasq; Menſas pertinere animus dictitabat. Etſi enim in exceſſo humani generis faſtigio conſtituti VIRI & conſtituendi JUVENES longè meliori excipiendi fueratis Epulo, tantum tamen aberat, ut de veſtro in hoc ipſum appetitu & lubentia dubitandi mihi ſcrupulum injicerem, ut potius, tenuiculum hunc Poetici ſaporis apparatum avidè *Vos* deguſtaturos, ſpem firmam conciperem. Qvid enim? Siderei Numinis æqvitas favorabiliori motu approbat exilia modeſtarum oblationum ſacrificia, qvam ſuperba pretioſorum munerum donaria. Proinde nec *Vos* favore me & amore proſecuturos deſpero, qvi perexiguum Epuli Poetici

donarium

donarium veſtris delubris infero, veſtrisq; Eminentiis & Præſtantiis offero.

Enimverò non diffiteor, neutiqvam me uniuscujusqve palati ſcitamenta, ſed plures præbiturum miſſus, qvi faſtidium, ne dicam vomitum parituri ſunt multis. Sit verò ita: Nec enim alia fercula omnia accumbentibus omnibus ſalivam perinde movent appetitumq; juvant. Sufficit huic unum & illi arridere alterum. Qvin imò ſi non arridet minusve libet Epulum hoc deguſtare, ne gravemini qvæſo, *VIRI Magni Fulgidiq; Juvenes*, ſi ego more Veterum (Imaginem illi Herculis tutelæ inſtar menſis imponere ſolebant) Veſtras qvoqve Imagines huic Menſæ imponam vel his epulis præponam: Ita enim qvod antea publicam lucem reformidabat, Vobis Hoſpitibus fretum ſub Veſtris potiſſimum Nominibus in alias qvoqve hominum Manus & Menſas exire non erubeſcet minusve dentes Theoninos

oninos & Rhinocerotis naſos extimeſcet.

Neqve etiam hujus & illius Frontonis riſu vel rictu, qvo minus inter officia venerantium & amantium appaream, ſubmovebor: exiſtimo enim fœtum hunc & Epulum in Academia & Urbe illa qvam regitis, qvamq; inhabitatis natum Vobisq́; potiſſimum & Virtute veſtra autoribus renatum, nemini rectiùs qvam veſtris debere Virtutibus earundemq́; convenire præconiis.

Eja igitur, *Venerandi Hoſpites & Amandi Commenſales!* Seponite jam parumper fercula Menſis veſtris impoſita atqve ut hujus Epuli Miſſus interponantur, permittite faventiſſimi. Profiteor enim me hodiè omnium Veſtrûm Hoſpitem. Vos e. O mei, *Convictores exoptatiſſimi!* aſſumite Epulum, legite, edite meiq́; poculum movete memores & favete. Ego pariter benè precaturus Vobis Commenſalibus meis novis unum itemq́;

alterum

alterum vini poculum hodiè epotabo & mente præſens propinabo.

Sed non moror amplius ſeria veſtra & ſevera nugis meis. Scio qvam moleſta ſit gravibus & eruditis Viris mora & loqvacitas. Illud tamen addendum hic eſt, cupere me qvam maximè reipſa atqve ſeriis mage factis Studium erga Vos meum comprobare.

Scrib. Roſtochi
Die intercalari A. 1660.

VV. Magnif. Excel.
Clarit. & Præſt.

Cultor humilimus
officioſiſſimus
promtiſſimus

M. A. D. HABICHTHORST.

SEptennium eſt, cum novendecim annorum Juvenis Academiam hanc primùm ſalutarem. Abhinc verò natura & Amicorum curâ incitatus Poëſin amare qvidem cœpi, ſed per pauxillum temporis ſpatium: Nondum enim biennio peracto Scholaſtica & Eccleſiaſtica humeris meis nil tale qvidem ominantibus, DEO tamen ita diſponente, imponebantur onera. His verò per triennium exantlatis vitam iterum Academicam ſi præ moleſtiis illis eligerem, ê re meâ fore exiſtimabam. Poſt intervalla e. publica ante biennnium & qvod excurrit hanc in Academiam reverſus, qvid uſus, qvid exercitium poſſit, intelligere cœpi. Cum enim per triennium illud ne diſtichon qvidem occaſione & anſa deſtitutus conſcripſiſſem, votis Amicorum priſtini venæ vigoris reminiſcentium vix ac ne vix qvidem reſpondere valebam. Uſus namqve eſt qvi artes nutrit qviq;

artifi-

artifices facit ac Magiſtrorum omnium præcepta ſuperat. Ad inſtantiam igitur Amicorum venam dehinc ſolicitam habere neceſſum erat. Nec etiam ab eo tempore, qvi in hoc ſtudii genere qvam maximè opus eſt, Fautor mihi deerat ac Promotor. Factum enim eſt elapſo vix ſemeſtri ſpatio, ut Rev. & Cl. Dn. M. JOACH. HERMETI, Brunov. Paſtori, *Pædevterion* aliqvod conſcriberem, deq́; Laurea Magiſtr. qvam ipſi Magnificus & tàm genere qvàm virtute Nobiliſs. DN. PETRUS GÖZIUS, Med. D. & Com. Pal. Cæſ. ex merito conceſſerat, gratulatorium transmitterem (vid. Faſc. 1. Anagr. 17. & ſeqq) Qvod cum etiam procurante DN. M. HERMETE ad honoras DN. D GÖZII manus transiret, ecce Vir Ampliſſimus, memor ſc. amicitiæ, qvæ ſibi olim & Parenti ſuo p. m. cum Parente meo interceſſerat (Grabovii enim Parentes vixerunt, illius qvidem Paſtor, genere Nobilis, meus verò Arcis Ducalis

 Præfectus)

Præfectus) *Lauream Poeticam* ultrò mihi Philoſ. tunc temp. Candidato deſtinabat.

Proinde *Laureâ* hac *Poetica* in ædibus TSCHERNINGIANIS qva decebat ſolennitate publicâ donatus, imò per Brabeutam TSCHERNINGIUM illum p. m. at qvantum Poëtam & Profeſſorem! ſæpenumero inſtigatus, Poëſin abhinc deſponſatam mihi vehementiùs amplectebar. Qvotiescunqve enim Natura & Laurea (cui acceptum hoc refero) commovebant, Amici urgebant, tantum aberat, ut refragarer, ut etiam, qvod Poëtis ferè commune eſt, ſponte & non juſſus ſæpe canerem. Etenim

Ille Poëtarum mos eſt, ut carmina ſponte
Conficiant, juſſi carmina non faciant.

Moſch. Cent. 2. Ep. 92. Præprimis autem arridet *Anagrammatiſmus*. Hic enim & materiam facile ſuppeditat & minus mihi tempus præripit. Nec n.

qvis exiſtimet, inventioni *Anagrammatum* tempus me inſumturum eſſe, niſi facilè ſubnaſcerentur. Sanè omnium elegantiſſima primo ſæpè aſpectu proveniunt. Interim tamen nec Epigrammata minoris æſtimo.

In tantum verò excreverunt hæc & illa numerum, ut præſentes pagellas expleverint & domi adhuc qvampluri ma remanſerint. Qvæ dum à non paucis deſiderata publicæ luci jam certis de cauſis, qvas adducere hic nihil refert, expono, pauca hæc interfari & præfari intereſt.

Enimverò non neſcio à multis vanam haberi Poëſin & inanem, imò, ut cum A. Roſæo loqvar, eſſe qvosdam adeò ſtupido & bruto ingenio, ut qvibus divinum Poëtices Studium non magis ſapiat, qvam Aſinis Lyra, aut Suibus amaracus; ſed hos ne in hominum qvidem cenſu reponendos cum Scaligero arbitror. Vid. Procem. de re Poët. Sexcenta eſſent hanc in rem obvertenda, ſed vereor, ne Spon-

ſum laudare Sponſam mihi regerant & ut fidem teſtimonio domeſtico habeant, periculum eſt. Legat, qvi volet, Scaligerum, Præf. Proſod Gieſſenſ. A. Roſæum in Præf. Virgilii ſui Evangelizantis & alios.

Deinde, non omnium ſtomachis hæc mea ſatisfactura multosq; fore qvi vitiligent credidero: Ardet enim omnium ferè animus ad reprehendenda aliorum dicta & facta. Verùm tales aut ſcioli ſunt, aut φίλαυτοι, aut Sycophantæ, qvi qvod ipſi vel non intelligunt vel præſtare neqveunt carpendum, vel qvod pulchellum eſt maculandum ſibi ſumunt canum ſimiles, qvi puram eligunt arcam, ut oletum ibi faciant. Indignandum ſanè imò indoleſcendum eſt, audere qvosdam & hos Poeſios expertes, imò Studiorum rudes certum aliqvid de ſumma rerum decernere. Olera olla legat, de arte plumaria acu pictores judicent!

Nec

Nec etiam in his (qvod Taubm. habet) judicio multitudinis ſtandum, qvæ, ut ait Pindarus, Cor cœcum habet, imò nec eorum ſemper, qvi magni ſunt in cæteris diſciplinis, niſi pariter in hoc Studio præſtiterint.

Interim, hæc mea & paucis & bonis & magnis (qvos qvidem tanti habeo, ut terrarum orbi inviſus eſſe malim, qvam his placere minus) jamnunc & olim grata fuiſſe, omninò ſufficit.

Cæterum cuncta hoc Epulo propoſita perinde matura non eſſe fateor, nec, ſapere omnia demorſos ungves, unqvam mihi imaginor. Plurima etenim *Vernalia* ſunt ſ. *Juvenilia*, qvæ Juvenis & in hac arte tyro luſi. Inde etiam à potiori hoc Epulum meum denominari *Vernale* debuit. Nec etiam adeò pingvia parantur fercula tempore *Veris* ac autumnus reddere ſolet. Sæpe importunitas temporis (*Ver* multis tempeſtatibus obnoxium eſt) me nihil ſciti parere ſivit, nec eadem ſemper argumenti fuit præſtan-

tia, nec par fingendi voluptas. Sæpe temporis brevitas ſedentario niſu aliqvid ſcribere vetuit. Nonnulla in itinere vel via, alia in Typographeo, pluſcula accumbens qvædam decumbens: pluria ſponte, multa ex juſſu i. e. ægerrimè, alia lætus, nonnulla ſubtriſtis fingere debui, nec niſi paucisſima in hac repetitione mutare volui. Adeò ut editionis me in nonnullis, ubi omnia penitius perluſtravi, jam ſubpœnituerit. In multis tamen mei me neutiqvam pœnitet, nec veniam precari juvat.

Præterea nec hoc te neſcire velim, in Ana- & Epigrammatis ſemper amatam & probatam me ſimul amaſſe hic & probaſſe *brevitatem & facilitatem*, ne prolixitate carminis defatigatum & obſcuritate pertæſum te conficerem. Potuiſſem, qvod multi amant, multas conſarcinare paginas, itemq; obſoleta & priſca vocabula nec non varia Gentilium nomina immiſcere, ſed mater faſtidii prolixitas,

tas, & malè ingenioſus ille eſt ad qvem capiendum opus eſt ingenio, inqvit Lipſius. In Epigrammatibus facilem, qvotidianum & plebejum ſermonem adhibuiſſe & breviſſimos fuiſſe Poetas, pervium eſt. Imò

Plus ſæpe eſt titulo qvod breviore legis.

ait Martial. l. 1. Ep. 94.

Plura eſſent, qvæ hanc in rem interfari poſſem & fabulari tecum, *mi Lector*, at verò ſufficiant iſta, ne ſi plura hîc efficiam & præficiam, injuria afficere vel planè conficere te videar. Jam e. *bone Lector*, nî Cenſuram prius & Catalogum introſpicere volueris, Epulum ipſum miſſusq; ſingulos nec inficiens nec officiens ingredere teq; confectis his, non defectis nec omninò perfectis refice, DEOq; commendatus vale!

Ad

Ad Dominum
## ACCIPITREM,
Poetam Clariſſimum.

*QVid noſtrum petis ad blandiſſima Carmina Carmen?*
*Cur non Accipitrum de grege præda, rapis?*
*Nec ferus Accipiter, nec adunco Milvius ore*
*Nec Vultur nidis ſupplicat: ipſe rapit.*
*Tolle rapax nomen! Placeat Philomela vocari!*
*Perge, laceſſe tuis vocibus omne nemus!*
*En circum auritæ celebrant tua Carmina quercus,*
*Reſpondetq; tuis vocibus omne nemus!*
*Quodſi Carminibus placeat ſublimius inſtar*
*Accipitris nomen ponito: ſume Aquilæ.*
*Carmine jam volucrumq; potens & fulminis hæres.*
*Certa fides Solis, judiciumq; poli.*
*Quod ſupereſt, uni ſint carmina ſacra tonanti!*
*Sic tibi mel, tibi ſic lactea vena fluet.*

Celerr. A. VARENIUS, D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0020
DFG

COlligo *Faſciculo* qvaſi, ſummatimq́; revelo,
Qvæ de *Faſciculis* mens ſit, AMICE, tuis.
Demorſos ſapiunt, qvæ carmina conficis, ungves,
Aut mihi judicium carminis omne perit.
Ergò qvòd eximium ſtudeas proferre laborem,
Laudo: ſed & pulcrè fors latuiſſet opus.
Qvis ſibi qværat enim magnum per talia nomen,
Nunc, ubi qvisqvis homo ſcribit & edit epos?
Qvòd niſi maturè morem correxeris iſtum,
Ipſe brevi mundus nil niſi verſus erit.

*L. Mq; ſcrib.*

HINRICUS Dringenberg/
Phil. Moral. Profeſs ac Facult. ſuæ in præſens DECANUS.

Non

NOn pipatio rauca * buteonis,
Aut Circi eſt per inane ſubvolantis:
Sed ſüave melos Cycni ſüavis,
Qvod Clio tua cantitat canora,
HABICHTHORST. Proin audias deinceps
Mî, non accipiter colens fruteta;
Sed Cycnus vocitére Mantuanus.

* Buteo & Circus ſunt Species Accipitris Plin. lib. 10. cap. 8.

M. Johannes Bellinus,
Sch. Wiſm. Rector.

---

## Catalogus Nominum.

*Uti in Conviviis præſertim aulicis miſſuum & ferculorum Catalogus exhiberi ſolet: ita hoc qvoqve Catalogo Epuli hujus miſſûs ſ. fercula h. e. nomina diſtinctius recenſere placuit, ut nempe qvid miſſurus ſim Hoſpitibus uno qv. intuitu pateat. Ideoq́z, ſi cui totum deguſtare Epulum non volupe fuerit, Catalogum ſaltim inſpicere, & utrum aliqvod occurrat palati ſcitamentum inqvirere non gravabitur.*

F. notat Faſciculum.
A. notat Anagramma.
E. notat Epigramma.

Adam

A.

Adamus Seidenſwanz, F 5. A 16.
Adolph. Frid. Theſant, f 5 a 25 & 38.
Alb. Hinke, f 1. e 26, 27.
Andr. Eberh. Amſelius, f 5. a 22, 23.
Andr. Forſelius, f 5. a 32.
Andr. Jeger, f 4, a 26.
Andr. Prizbaur, f 1, e 2, 48, 49.
Andr. Schmalbach, f 1, e 23.
Andr. Schröder, f 1, a 34, f 3, a 32, 36, 37, f 1, e 45.
Andr. Tſcherning, f 2, a 17, f 1, e 21, 22.
Anton. Gunt. Cnaut, f 5, a 37.
Anton. Zwickius, f 4, a 17.
Arnold. Herm. Landsberg, f 4, a 33.
Aug. Varenius, f 2, a. 15, f 3, a 8, 9, 10, 11, 12, 13. f 1, e 13, 20.

B.

Barthold à Bulau, f 3, a 23.
Bartolom. Roloffs, f 5, a 26, f 2, e 41, 42
Benedict Burghardi f 2, a 32.
Bernh. Goſman, f 3, a 14, 15, f 1, e 32.
Bernh. Schulz, f 2, a 35.
Blaſius Grabius, f 5, a 12, 13, 14. f 1, e 29, 30.

Carolus

C.

Carolus, Dux Meklenb f 1, a 7.
Carolus Schröderus, f 4, a 15.
Caſp. Marchius, f 3, a 16.
Caſp. Mauritius, f 3, a 7, f 5, a 6.
Chriſtianus Dux Meclenb. f. 1, a 4, 5, 6 f 2 e 5, 6, 7, 8, 9.
Chriſtianus Frommius, f 1, a 35, f 3, a 34, f 2, e 46.
Chriſtianus Heſſæus, f 2, e 2. 18 & 30,
Chriſtoph. Claſſius, f 2, a 37, f 1. e 38
Chriſtoph. Fiſchenbecius, f 2, e 34.
Chriſtoph. Friderici, f 1, a 37, f 1, e 37.
Conradus Scucman, f 1, a 22, 23.
Cornelius Pittelius, f 3, a 27.

D.

Dan. Georg. Morhof, f 3, a 33. f 4, a 32.
Daniel Janus, f 2, e 13.
Daniel Sucovius, f 2, a 31.
David Döderlin, f 1, a 31.

E.

Enochus Swantenius, f 4, a 13.
Erneſtus Bunſovius, f 2, e 11.
Erneſtus Sültman, f 4, a 1, f 1, e 39, f. 2, e 31.

Felix

F.

Felix Fidlerus, f 1, a 36.
Franciſ. Wilh. à Ramshauſen, f 4, a 34
Frid. à Buchwald, f 1, a 8. f 2, e 10.
Frid. Alb. Walmund, f 5, a 30.
Frid. Johanſon, f 5, a 31.
Frid. Topff, f 4, a 31, f 1, e 35.
Frid. Ummelman, f 5, a 15.

G.

Georg. Dammius, f 4, a 21.
Georg. Niehenk, f 4, a 19.
Gottfr. Cretſchmar, f 1, a 10, 11, 12, 13, 14
Gregor. Ritterſhauſen, f 5, a 29.
Gregor. Schröder, f 5, a 36.

H.

Hardov. Meineke, f 1, a 32, f 2, e 2. 22. 37
Hartm. Möring, f 1, a 29, 30, f 2. e 28.
Henricus Amſel, f 5, a 19, f 1, e 12.
Henr. Dringenberg, f 3, a 18.
Henr. Müller, Archid. f 5, a 11.
Henr. Müller, Cant. f 5. a 20.
Henr. Rhan, f 4, a 2, f 1, e 17.
Henr. Schæffer, f 2, a 21.
Henr. Stendel, f 3, a 28.
Henr. Wittmejer, f 3, a 3 & 20, f 2, e 20

Herman-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn727403737/phys_0025
DFG

Hermannus à Dornen, f 2, a 12.
Herm. Friſius, f 3 a 24.
Hieron. à Dornen, f 2, e 12.

I.

Jacobus Moderovius, f 2, a 36.
Jacobus Schröderus, f 3, a 2, 19.
Joachimus Bannehr, f 1, a 24, 25.
Joach. Hermes, f 1, a 17, 18, 19, 20, 21,
f 1. e 28.
Joach. Lindeman, f 5, a 10.
Joach Schröderus, f 5, a 9.
Joach. Stein, f 2, a 34, f 3, a 30, 31.
Johannes Amſelius, f 4, a 20.
Joh. Bellinus, f 4, a 14.
Johan Berens, f 3, a 29, f 5, a 27.
Joh. Bernh. Zinzerling, f 3, a 22.
Joh. Conr. Bartius, f 4, a 16.
Joh. Drepper, f 4, a 25.
Joh. Engel, f 5, a 1, 2, f 1, e 47.
Joh. Frid Röſeler, f 3, a 25.
Joh. Georg. Dorſcheus, f 3, a 6, f 4, a 12.
f 5, a 4 & 5, f 2, e 16. (10.
Joh Georg. Dux Mecl. f 2, a 5, 6, 7, 8, 9,
Joh. Hack, f 5, a 35, f 1, e 42, f 2, e 41.
Joh. Henningius, Cant. f 2, e 35.

Joh.

Joh. Henning, Penſion. f 2, à 27 ſeq.
Joh. Henr. Domeſius, f 4, a 22.
Joh. Joach. Stöverus, f 4, a 28. f 2, e 21.
Joh. Leonh. Cruſius, f 2, e 33.
Joh. Lubbertus, f 1, a 27.
Joh. Majus, f 4, a 18.
Joh. Morian, f 4, a 35, f 5, a 34.
Joh. Petræus, f 1, a 2, 40.
Joh. Qviſtorpius, f 2, a 14, f 3, a 5, f 5, a 7.
Joh. Rathenius, f 3, a 26, f 4, a 24.
Joh. Reuter, f 2, a 2, 24, 33, 39, 40, f 1, e 33.
Joh. Stalmeiſter, f 2, a 13.
Joh. Steinius, f 5, a 8.
Joh. Weſtphal, f 3, a 38, 39.
Joh. Wichmannus, f 2, a 22.
Joſua Arndius, f 1, e 16.
L.
Laurentius Bodoccus, f 1, a 9.
M.
Mart. Freihub, f 1, e 41.
Michael Cobabus, f 4, a 3, 4, ſeq. f 5, a 3, f 1, e 14.
Mich. Watſonius, f 1, a 16.
N.
Nicolaus Cluverus, f 5, a 28.

Nic.

Nic. Ridemannus, f 2, a 16, f 5, a 7.
O.
Otto Groſcreuz, f 1, a 28, f 2, e 26, 27.
P.
Petrus Cluverus, f 4, a 27.
Petrus Giſenhagen, f 2, a 23, f 2, e 14.
Petrus Gözius, f 1, e 12, 18.
Petrus Kivitius, f 5, a 33.
Protaſius Beſelin, f 4, a 22.
S.
Sebaſt. Wirdig, f 3, a 17.
Steph. Hane, f 1, e 15.
Stöveria, f 4, a 29, 30.
T.
Theodorus Olpkenius, f 5, a 17.
V.
Ulricus Amſel, f 5, a 18.
W.
Wilhelmus Schmid, f 5, a 21.
Z.
Zacharias Grapius, f 1, a 33, f 3, a 33.

Rerum Indicem Pagina reſpuit.

ANA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727403737/phys_0028
DFG

ANAGRAMMATUM
M. A. D. HABICHTHORSTI,
Büzav. Meclenb. P. L. C.

*AD*

*Ampliſſimum Prudentiſſimumq́;*
*VIRUM*

# DN. JOHANNEM PETRÆUM,

Reip. Patr. Roſtoch.
CONSULEM SENIOREM
eminentiſſimum,

*FASCICULUS PRIMUS.*

I.

Sat Sapiens, ſi ſat pius.

Pietas *An.* Sapiet.

CUi comes eſt Pietas, Sapiens ſatis illa juventus,
Et ſapiet regni dulcia fercla DEI.

II.

Ad Mæcenatem meum
DN. JOHANNEM PETRÆUM,
Patriæ Patrem venerandum.

PETRA *An.* PATER.

*Tota domus* Patri *curnam confidere ſvevit,*
*Innitiq́ʒ?* Patrem *dicimus eſſe* Petram.
*Sic Te nituntur Cives, Tibi Curia fidit:*
*Cur? Patriæ* Pater *en! es ſimul atqve* Petra.
*Ergò te qvisnam verum neget eſſe* Petræum?
*Qvidni* Faſciculi *ſis qvoqʒ* Petra *mei?*

III.

Pro Victoriâ
IMPERATORIS
Semper Auguſti.

Imperator *An.* O reprimat!

*Qvis non pro* CAPITIS *pia vota ſalute ſonaret?*
*O dirum* reprimat reprimat *hoſtis opus!*

Ad

IV.

*Ad Sereniſs. Princ. ac Dn.*

# DN. CHRISTIANUM

Ducem Meclenburgicum,

Sceptra Paterna feliciter

ſuſcipientem.

Chriſtianus *An.* Chriſi natus.

P*Ræ Ducibus reliqvis qvia* Chriſi natus, *Iövæ,*

*Qvi fortunabit, ungeris auxilio.*

*Ungeris aſſumens jam Meclenburgica Sceptra,*

*Qveis moderes patrium more decente ſolum.*

V.

Ad Eundem. (cus.

Chriſtianus Dux Meclenburgia-

*Anagr.*

Lux benedicta ſurgis circa munus.

L*Ux benedicta tuum jam circa munus honorum*

Surgis, *id illuſtrans dexteritate geres.*

Lux benedicta DEI *quoque* circa mu-
nus *acerbum*,
Surgens, *illuſtret Teq; forumq; regat.*

VI.

Chriſtianus Princeps Terræ Vandaliæ.

*Anagr.*

Luctans incipe, arte ſuperans dira iræ.

Luctans *& variis circumdatus* incipe
*turbis*,
Arte *tamen* ſuperans iræ *molimina* diræ
*Davidicâ, tùm ſumma dabunt his Numina
finem!*

VII.

*Ad Celſiſſ. Princ. ac Dn.*

DN. CAROLUM,

Ducem Meclenb,

Roſtochium feliciter ingreſſum.

Carolus *An.* Cor, Laus.

C*elſa mihi facies tua cum ſpectanda
pateret,*
*Hæc ego:* Laus *noſtrûm creſce,* Cor *usq;
vige!*

*Ad*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0032
DFG

VIII.

Ad Generoſ.

DN. FRID. à BUCHWALD,

Celſiſs. Duc Mecl.

DN. CHRISTIANI,

Vicarium ſplendidiſſimum.

Fridericus. Fer id curis.

*QVod Tibi celſa dedit curandum dextera*, curis
Id fers *legitimè, maxima cura Ducis.*

IX.

De LAURENTIO BODOCCO,

J. D. Prof. Orat.

Conſil. & Hiſtoriographo,

Natalem

Seren. Duc. Mecl. DN. CHRISTIANI

Feſtivâ Oratione celebrantem,

Roſt. An 1658 d. 1 Dec.

Laurentius Bodoccus J. D.

*Anagr.*

Boni Ducis oculus ardet.

I*Lle* boni *Bodoc* oculus Ducis ardet *amore*
*Principis, hinc celebrat feſta puerperij.*

 In Nu-

X.

In Nuptias

DN. GOTTFR. CRETSCHMARI,

Sereniſs Duc. Meclenb.

DN. CHRISTIANI

Conſiliarii & Secretarii,

Et Virg. SOPH. SCHüZIÆ.

*Pentas Anagrammatum*.

(1) Gottfried Cretſchemarius

*An.* h. negl.

Defer cor certum ſagittis.

I*Lla* ſagittipotens *infert tibi* Schüzia *vulnus*,
*Vulnus idem rurſus Sponſa levare poteſt.*
*Ergò tuum curæ* cor certum, *Sponſe*, ſagittis
Defer, *erunt illæ certa medela tui.*

XI.

(2) Cretſchemarus

Creſcet ramus.

R*Amus* *in excelſa ſpectandus Principis aula*
*Schüziadum ſtirpi* creſcet *amore datus.*

(3) Cretſche-

XII.

(3) Cretſchemarius

*An.* Creſcat humeris.

S*uſtinet hic* humeris *grave pondus, & inde precamur,*
*Nunc* humeris creſcat, *Sponſa levando juvet.*

XIII.

(4) Cretſchemarius

*An.* Ter charus miſce.

J*Am tua poſthabeas, quia Sponſus, ſeria ludo,*
Miſce ter charus *nunc joca Conſiliis.*

XIV.

(5) Cretſchemarius

*An.* Certemus charis.

CErtemus charis, *dic Sponſæ, Sponſa labellis;*
*Libabit labris mox tua labra ſuis.*

XV.

ALBO meo
præfixa Invitatio.

Album Favitorum nec non Amicorum Andreæ Danielis Habichthorſtii.

*Per Anagr.*

ubi P. pro cognata ſua B. adhib.

Hic liber innovat memoriam faventium: Ad hunc chari Patroni, ſodales!

NB. Syllabam *Mo* in *Memoriam* productam hic adhibere Anagramma autor erat.

U*T magnos recolam meos* Patronos,
*Et charos recolam meos* Sodales,
*Quos tellus peregrina vel propinqua*
*Offert*, Hic liber *en! manum* Patroni
*Et* chari *quoque poſtulat* Sodalis.
*Nam manus animiq; dum faventis*
*Typum poſſidet*, innovat *legenti*
*Usque & usque* memoriam *süavem*,
*Favoremq;* faventium *ſuavem*,
*Amoremq;* Sodalium *ſuavem*,
*Usque & usque recolligit legenti,*
*Usque & usque redintegrat legenti.*
Ad hunc *ergò librum mei* Patroni,

Ad

*Ad hunc euge librum mei Sodales,*
*Advolate mihiq́ grata veſtræ*
*Signa pingite mentis eruditæ,*
*Manus ſcribite ſigna perpolitæ.*
*Sic abſens recolam meos Patronos,*
*Sic abſens recolam meos Sodales,*
*Seu tellus peregrina me fovebit,*
*Seu me patria terra ſuſtinebit.*

XVI.

De M. MICH. WATSONIO,
SS. Th. Cand. ap. Rint. P. P. Ro-
ſtochi pro gradu diſput.
Watſonius. Sonat vividus.

R*Oſtochij* vivus *qvi pridem docta* ſo-
navit,
*Nunc iterum* vivus *vivida verba* ſonat.
*Hem benè!* vivus *honor ſeqvitur pretioſa*
ſonantem;
*Poſt vitam* vivus *per ſua ſcripta* ſonet.

XVII.

Pædevterion
Ad Dn. M. JOACH. HERME-
TEM, Paſtorem Brunovienſium,
Juventutis meæ qvondam Formatorē,

 cùm

cùm ille Promotore Viro Magnifico
DN. PETRO GÔZIO,
Med. D. & Com. Pal. Cæſ.
An. 1657. Phil. M. crearetur.

M. Joachimus Hermes
*Anagr. alt. H. om.*
Hic me amore Muſis.

PRimus, amore *mei*, Muſis hic *ipſe ſacratis*
Me *conſecratum ſedulitate dedit.*
*Hinc illũ teneor complecti ſemper* amore,
*Illius* & Muſis *velificare metris.*

XVIII.
M. Joachimus Hermis.
Hic mihi more Muſas.

HIc mihi *monſtravit bifidi faſtigia montis,*
Muſas & mores more *deditq́; pio.*
*Hinc ipſi teneor gratari* more *decenti,*
*Dum faciles* Muſas *ſentit habere ſibi.*

XIX.
Joachimus Hermes.
Ah hic me ore Muſis.

Ah

AH hic me *tenerum docto formavit abunde*,
*Et gratum* Muſis *reddidit* ore *ſuo.*
Ore *pio teneor meritas hinc reddere gra-*
*Illius* Muſis *gratiſ ſando modis.* (*tes*,

XX.

M. Joachimus Hermes,
*An. alc. H. el ſ.*

Imo hic me re Muſas.

IMò *mihi* Muſas hic re *quoque tradidit ipſis*,
*Ipſa* re *totum* meq; *ſacravit eis.*
*Hinc ipsâ refert iterum* re *gratus ut adſim*,
*Argentiq; vices carmen obire juvat.*

XXI.

Ad Eundem.

Magiſter Joachimus Hermes
Paſtor,
Hem Chriſtum amas, at ore pi-
os regis.

E*Vax! ſic quoque Tu laboris aufers*
*Virtutisq; tuæ ſat ampla, magno*
Gözio (*Comes en bonus!*) *brabeuta*
(*Vivat!*) *præmia, dum caput venuſtum*

 *Circum-*

*Circumdat diadema, dum crearis*
*Lingvarumq́ Magiſter artiumq́!*
*Eja Vir Rererende! qvâ Corona*
Gözius *caput ornat ac honorat,*
Gözius *decus Æſculapidarum,*
*Magnus ille Comes ſacri Palatî,*
*Sit typus diadematis venuſti,*
*Qvod olim Dominus tuo fideli*
*Poſt mundi cineres die ſupremo*
*Imponet Capiti fideliumq́.*
*Et qvidni* venerande Paſtor? Hem Tu
Chriſtum *ſanctus* amas, *pius* pioſq́
*Multos efficis* ore *prædicante,*
*Multos* dirigis ore *perpolito,*
*Multos* corrigis ore *fulminante,*
*Multos* erigis ore *gratioſo.*
*Ore melliſluis* DEI *repleto*
*Verbis paſcis oves* DEI *redemtas*
*Verbo paſcis oves* DEI *fideles.*
*Nec gravaris amore Chriſtiano*
*Ob Chriſtum mala ſuſtinere multa;*
*Sed circumſpiciens & hos & illos*
*Ad tuum retrahis ſubinde* Chriſtum.
*Cur proinde tibi* DEUS *coronam*
*Gloriæ renegaret æviterna.*

*Sis,*

*Sis, qvod nomen amat, fidelis* Hermes,
*Legatusq́ DEI maneto conſtans.*
*Sic vitæ dabitur Tibi corona!*
*Sic collatus honos typus Coronæ*
*Futuræ, typus eſt beatitatis!*
*Interim quoque lauream Magiſtri*
*Nuper impoſitam precor ſüavem,*
*Felicemq́ tibi tuisq́ & orbi*
*Commendet DEUS eſſe Chriſtiano!*

*Idem Anagr. breviùs.*
ex Joh. 20. v. 16. 20.

P*Aſtor* amans Chriſtum *ſeqvitur per ſaxa perſignes,*
*Paſcit oves, multos* erigit ore pios.
*Hinc qvoniam* Chriſtum *ſeqveris pius* ore piosq́
Erigis, hem Chriſtum *tuqvoqve*, Paſtor, amas.

XXII.
In Obitum
D. CONRADI SCUCMANNI.

Conradus Scucmanus J. Doctor,
Sic coronandus cum cordatus.

Cordatus

COrdatus *vivens moritur cordatior; inde*
Scucmanum *meritò pulchra* corona *manet.*
Sic, *homo*, cùm *vivis* cordatus *obisq; fidelis,*
*Ritè* coronandus, *usque beatus eris.*

XXIII.

Conradus. Cor nudas.

COr *proprium* nudas *animá dum linqvere,* nudas
Corda *propinqvorum, qvando relinqvis eos.*
*At qui ſejungit* Chriſtus *de morte reducet,*
*Conjugens iterum corda ſoluta nece.*

XXIV.

In Obitum
JOACH. BANNEHRI,
Scholæ Sver. Rectoris An. 1659. M. Apr.
Johannes Bannehrius Rector,
Ah Vir, honor caris, ſubit necem.

M*Orbi dum tectum ſubeunt & ubiqve vagantur,*
*Qvi* Vir honor caris ah *ſubit ille* ne-necem!

EX

XXV.

Ex eodem nomine.

Ah ſincerus moritur! hinc abeo.

AH *mihi! ſincerus moritur pietatis amator:*
*Deflens* hinc abeo *crimina, tango caput.*

XXVI.

Moribus: I morbus. ubi mors?

Moribus *ex noſtris qvid provenit? accipe* morbum:
Moribus *ê mediis ſi modo jota feras.*
Mors ubi *ſit, qværis, mors unde ſit? accipe* mores,
Moribus *in noſtris mors latet, inde venit.*
I *procul à noſtris reſipiſcens* moribus, *iſtud*
*Qvi ſuperare malum, qvi pius eſſe cupis.*

XXVII.

In Nuptias
JOH. LUBBERTI, Med. D.
Joannes Lubbertus,
Lubens ſubit onera.

Lubbertus

LUbbertus *artis qvi medicæ ſuæ*
*Salubris audit gloria, nunc* lubens
Onus ſubit *curationis*
*Conjugijq́; : precor levamen!*

## XXVIII.

Magiſterio
## M. OTTONIS GROSCREUZII,
Sed Pom.

Groſcreutſius, Scitus reſurgo.
*Proſop.*

Q*Vi latui,* ſcitus *nunc euge* reſurgo
*tenebris,*
Scitus *ut inde mihi ritè* reſurgat *honos.*

## XXIX.

Magiſterio
## M. HARTMANNI MöRINGII,
Roſtoch.

Hartman Moeringius,
Magiſtern' humanior!

N*Omina, qvid? qvod ſis* humanior
*arte* Magiſter,
*Ordo Profeſſorum factaq́; clara probant.*

Moerin-

XXX.

Moeringius: Genio mirus.

*Q*VIs non mirando tibi gratarétur honores,
*Qui* genio mirus mirus *& ingenio?*

XXXI.

M. DAVIDI DöDERLINO,
Weiſſenburgo Norico.

Magiſter David Dœderlinius,
Laude dignus dote redimiaris.

L Aude *tuâ* dignus redimiris dote *Magiſtri,*
*Inq́; nova meritò Sindone victor ovas.*
*Nos,* redimite, *tibi* redimicula *fauſtâ precamur:*
*Sanctꝰ abhinc lauro tu* redimire *novâ!*

XXXII.

Ad HARDOVICUM MEINICHIUM,
ap. Bûzav. Oeconomum & Organiſtam literatiſs.

Hardovicus: Hos cura diu.

*Q*vos tibi commiſit ſacros Eccleſia ſumtꝰ,
Hos cura, *Summum concelebrando* diu.

De

## XXXIII.
## De ZACH. GRAPIO,
Tetrav. Mecl.
ſub Præſid D n. D. A. VARENII, Hebraic. P. P. ex c. 19. & 20. Eſ. diſp.

Zacharias Grape,
Is gaza perchara.

QVi *Reſpondentis*, *doctorum lumine magno*
*Præſide*, Varenio, *pulpita docta ſubit*,
Is *Cor Muſarum* percharaq́; gaza *putandus*
Gazam *doctrinæ divite mente fovet.*
*Hac fretus* gazâ *doctrinæ*, *pulpita ſcandit*,
*Prodit & ingenij ſenſa decora ſui.*

## XXXIV.
## Ad ANDR. SCHRöDERUM,
Büzav. Mecl. ex c. 22. Eſ. ſub eodem Præſ. diſput.

Andreas Scrõderus,
Corde ſudas, narres.

COrde *tuo* ſudas, *ſacrato percitus œſtro*,
*Qui Duce* Varenio *pulpita clara ſubis*:

*Præſide, Varenio, qvo pulpita clara ſubivi*
*Jam vicibus binis, qvôqve ſubire lubet.*
Corde *proinde tuo reſponſa süavia promas,*
*Et cladem* narres *mox Hieroſolymæ.*
*Auribus en erimus faciles lingvisq; faventes,*
*Ritè precaturi fata ſecunda tibi.*

## XXXV.

## De CHRISTIANO FROMMIO, Büzav. ſub ejusdem DN. D. VARENII Præſidio ex cap. 23. Eſ. diſp.

Chriſtianus Frommius, Charus Muſis ſit minor?

MUſis *qvi* charus minor *haut* ſit; *Muſa ſubinde*
*Dignum laude Virum tollit amatq; ſuum.*
Frommius *&* *Superis Muſisq; probatus, iisq;*
Charus, *erit major, non erit ille* minor.
*Vix auditus eram vix &* Schroderus *& ecce*
*Mox ſeqvitur; ratio: non cupit eſſe* minor!

Ad

XXXVI.

Ad FELICEM FIDLERUM,
Roſtochienſem,
ex c. 23. Eſ diſputantem.

Sedulitas: Tu Sal edis.

*SEdula ſit ſemper, fuget otia prava juventus,*
*Cui* Sal *deeſt Sapientiæ.*
Sedulitas *etenim* Sal edit editq́3: *qvod ipſum*
Fidlere *docte comprobas.*
*Namqvia* Sedulitate *pia tua jugiter urges,*
Edis Salem *Sapientiæ.*
*Aſt qvem Sedulitas fugit, huic in corpore toto*
*Ne mica præſens eſt* Salis.
*Tu nimiùm* felix, *ſapiens ſis atq3 beatus:*
*Sit fauſta Diſputatio!*

XXXVII.

Ad CHRISTOPH. FRIDERICI,
Roſt. Mœno Francofurtum abiturientem d. 11. Matt. 1658.

Chriſto-

Chriſtophorus Friedericus
*An. h. eliſ. i pro o. adhib.*
*ut fiat Chriſtiphorus.*
Proficiſceris rediturus.

GRyphica te vidit, te Balthica patria fovit,
Nunc Francofurtum, Juris alumne, petis.
I pede felici qvò nunc proficiſceris, aſt heus!
Ad patrias Muſas mox rediturus abi.
I pede lætifero, ſpoliis rediturus opimis,
Iq; rediq; tuos amplificando lares.

XXXVIII.
In qvendam CONSTANTINUM.

Conſtantinus:
Tu inconſtans.

NOmine qvi dignus promiſſis qvando vacillas?
Tu magis inconſtans ergo vocandus eras.

In

## XXXIX.

### In qvandam Virginem.

Virgo : Vigor.

VIrgo vigore *valet, qvæ caſta, diuq́ vigebit:*
*Tu qvia caſta minus,* Virgo, vigore *cares.*

## XL.

### Pro Incolumitate DN. JOH. PETRÆI, Reip. Roſt. Conſ. ſupremi.

Petræus : Supereat.

Q*Vi* ſuperat *vulgum* ſuperitq́ *cacumen honoris,*
*Et* ſupereſt *Urbi cura ſuprema ſuæ:*
*Et ſcopulos mundi* ſuperet *longèq́* ſuperſit,
*Et* ſuper - *inviſi ſaxa Draconis* - eat!

ANAGRAMMATUM
M. A. D. HABICHTHORSTI,
Büzav. Meclenb. P. L. C.
*AD*
*Præclarum, omniq; Virtutum ac Eruditionis genere Præcellentem*
# DN. JOHANNEM REUTERUM,
Meclenburgicum,
J. U. Candidatum fulgidiſſimum,
Amicum à multis annis ſinceriſſimum,
*FASCICULUS SECUNDUS.*

I.
## Ad Lectorem
### De Ratione brevitatis.
Brevis: Verbis, Vibres.

CUr brevibus *rogitas proponam carmina* Verbis?
*Præ longis* brevitas *cùm mea verba* vibret.

 Ad

II.

Ad Dn. JOH. REUTERUM,

Johannes Rüterus,

*Anagr. H. aſpir. ut hic ita & alibi ſæpiſſimè exſpir.*

En ornatus Vir es.

Q*Vàm tibi, cui potius monumenta Poetica donem,*
*Qui* Vir es ornatus, *qvique Poëſin amas?*

III.

Poeta *Anagr.* Pateo.

M*uſa Poetarum facilis* patet *undiqve cunctis,*
*Qvos juvat hanc ipſam ſolicitare, bonis.*
*Nominis hinc* pateo *dicit Metagramma* Poëtæ:
*Qvid? qvod eorundem nomen ubiqve* patet.

IV.

Collegii Poëtici Intimatio An 1658. M. Jul. facta.

Artes

Artes *Anagr.* Serta, Terſa,
Teras, Rates.

SErta *ferunt* artes, *cognomina* terſaq; *gignunt*,
Artes *propterea ſedulus usque* teras.
*Suntq;* rates artes, *quibus inſidet artis alumnus*
*Et ſuper excelſi tollitur aſtra poli.*
*Has inter quoniam radiat divina* Poëſis,
*Cujus Cultorem laurea* ſerta *manent.*
*Hanc, comitante DEO, Juvenes, tractare volenti*
*Calcar confluxu ſubdite quæſo mihi:*
*Veſtraq; nominibus reliquis adjungite poſthac*
*Nomina, verſidicum ſic benè cedit opus.*

V.

Ad Illuſtriſs. Princ. ac Dn.

# DN. JOHANNEM GEORGIUM,

Ducem Meclenb.

Feliciſſimè Roſtochi ſuperato morbo revaleſcentem,

 *Pentas*

## *Pentas Anagrammatum ex uno eodemq; Celſitud. ejusdem Nomine inſtituta An: 1659 d. 10. Aug.*

Johannes Georgius

*Anagr.*

(1) Ah riges! O non viges!

Roſetum Roſæ marcorem dolet.

AH *mihi! quæ nimiùm me condecorare ſolebas,*
O Roſa *celſa!* riges, nec *rubicunda* viges!

VI.

(2) I generoſus agoni.

Generoſiſs. Baro

DN. WENCESL. WILH. MYLN. à MYLHAUSEN,

Cubicularius Celſiſſimum Duc. langventem adhortatur.

N*Oſter in occurſum* Dux I generoſus agoni;
*Nam ſuperaſſe decet, ſuccubuiſſe nocet.*

VII.

(3) Ingens vigeo Roſa.

Dux

Dux Sereniſs. per DEI gratiam
reſtitutus Caput erigit.

INgens *nunc iterum* vigeo Roſa *qvando vigorem*
*Omnipotens voluit reſtituiſſe meum.*

VIII.

(4) Ingens vigeas oro.

Roſetum de recuperata feliciter valetudine gratulatur.

G*Ratulor! haut unqvam rigeas Roſa reddita luci,*
*Aſt* vigeas ingens oro, *crucemq́; fuges.*

IX.

(5) O Roſa vige ingens.

Autor humilimè congratulatur.

O Roſa *pulchra* vige, *decus* ingens *creſce Roſeti,*
*Sit tua neqvaqvam gloria roſa precor.*

X.

Ad eundem Principem
Anagrammata, hæc egregio munere & gratia irrigantem
d. 11. Aug.

Gratia *Anagr.* Rigata.

GRata Tibi venam ſed parvula fundere juvit,
Hisq́; rigata mihi gratia grata parit:
Atqve rigatus ego nunc, Illuſtriſſime Princeps,
Nil niſi grata Tibi reddere metra qveo.
Gratia ſic grates parit atqve rigata refundit,
Non ſecus ac fructum terra rigata refert!
Attamen haut grates nec gratia tanta decebat
Me neqve metra; Tibi gratia cuncta manet.
Gratia celſa manet Veſtrum, Celſiſſime, Nomen,
Gratia dum voluit veſtra rigare metrum.

XI.

In Album alicujus.

Virtus *Anagr.* Tu riſu.

SÆpius exciperis Virtus pulcherrima riſu;
At riſu Virtus excipe tu vitium.

XII.

Ad Magnificum Lubecenſium
CONSULEM.

Hermannus à Dornen, Conſul
Lubecenſis,
*Anagr. H. eliſ.*

En! esn' Urbis Corona lucens,
dans lumen?

M*Agne* VIR, es *veſtræ viridis* lucensq́;
corona
Urbis, dans lumen *Civibus omnimo-
dum*.

XIII.

Ad DN. JOHANNEM STAL-
MEISTERUM,
Celſiſs. Duc. Meclenb.
DN. CHRISTIANI
Conſiliarium.

Stalmeiſterius
*Anagr.*
Latus es meritis.

E*Rgò tuis* meritis *ad honorum culmen
Iovæ*
Latus es *auſpicio? Vir potiora merens!*

*Hem benè! ſic Virtus locuplesq́ peritia rerum*
*Præmia digna capit, non aliena ſapit.*
*Conſultrix poſthac opus eſt opulentia lingvæ*
*Res animetq́ Ducis, res miſeriq́ juvet.*

## XIV.

## Ad DN. JOH. QVISTORPIUM,
Th. D. ejusdemq́; Prof. & ap. Roſt. Paſt. Jacobæum.

*PIA DESIDERIA*
divulgantem.

Deſiderium,
*Anagr.*
1. Dei ridemus. 2. I deme duris 3. Diu mederis.

F*Ulgida verba* Dei *nunc ab* ridemus *Amici!*
*Sic* Deſideriis, *Vir venerande, gemis.*
*I, comitate DEO,* Duris *ea crimina ſeclis,*
*Quæ* deſiderio *demere, deme, cupis.*
*Expetit omnis amans pietatis & approbat illud:*
*His* deſideriis, *addo,* medere diu.

Ad

XV.

Ad Dn. AUG. VARENIUM,
Th. D. Hebraicorum & Catech.
Chriſt. Prof.
Cùm donum ei pro Præſidio, Reſpondenti mihi An. 1654. præſtito
mitterem.

Dominus Auguſtus Varenius,
Theulogiæ Doctor ut &
L. O. Profeſſor.

*Anagr. metricum.*

HEu ſudore tuo minus aufers
digna! rogo Tu
Suſtolle vota pectoris.

XVI.

Ad Dn. NICOLAUM RIDEMANNUM,
Th. Lic. & Eccleſiaſt. Marianum
Diſputationes Theol emittentem.

Ridemannus *An.* En mirandus.

EN mirandus *agis*, Ridemanne,
*qvod approbat omnis:*
*Commoda, mirer ego, ſi tibi mira negent.*

XVII.
In Obitum
Celeberr. Poetæ & Profeſs.
ANDR. TSCHERNINGII,
Brabeutæ mei deſideratiſs.
M. AnDreas TſChernIngIVs, Po-
ëta nobILIs.
*Anagr. Annum mortis ſimul exhib.*
AntesIgnanVs saL DICI proMe-
rens obIt.

ANteſignanus, *benè* Sal *Poëtis*
Promerens dici, cadit *ab Poeta!*
*Triſtis haut poſſum geminare verbum;*
*Ingemo ſaltim!*

XVIII.
Veritas *Anagr.* As eruit.
*Vel ſi mavis:* Æs ruit.

V*Era latent! cauſam rogitas?* as e-
ruit *iſta*:
*Divitis æra ſtatim pauperis ora* ruunt.

XIX.
Veritas *An*, Tuearis.

*Quisquis*

QVisqvis es hanc omnes tuearis a-
meſq; per oras,
Nec dubium, qvin te contueatur, erit.

XX.

Veritas *Anagr.* Serviat.

SErviat *haut dominetur, ait prob! fa-
ctio mendax,*
Serviat *ut fallax vera fidemq; premat.*
*Sed malè! mendaces ut cedant vera locutis*
Serviat *hac virtus, qvid? dominentur
iis.*

XXI.

Ad Dn. HENR. SCHÆF-
FERUM,
Celſiſs. Duc. Meclenb.
Dn. GUSTAVI ADOLPHI
Secretarium.

Schæferus *An.* Ferveſcas.

FErvit *opus ſat grande tuum,* ferveſcis
*& ipſe:*
Ferveſcas *etiam dum mihi* fervet
*opus.*

XXII.

AdDn. JOH. WICHMANNUM,
Büzav. Eccleſiaſten.
Filiam ſuam elocantem.

Wiechmannus
*Anagr.*
Hem nunc vivas.

A*Dſciſcens generum nulli pietate ſecundum,*
Hem vivas *annos* nunc *renovesq́ue tuos!*

XXIII.

Ad Dn. PETRUM GISENHAGENIUM,
Not. Publ. & Cancellariæ Guſtrav. Colleg.
Affinem & olim Hoſpitem.

Giſenhagenius
*Anagr.*
Ingens vigeas.

Q*Vid tibi pro meritis tribuam? pia vota repono,*
Ingens *Io* vigeas, *publica promoveas!*

Ad

XXIV.
Ad Dn. JOH. REUTERUM,
Jur. Cand.
Publicè Roſtochl de Principe Prudente An. 1654. perorantem.
Johannes Reuterus
*Anagr.*
En Rhetor ſvavis es.

RHetor es en ſvavis! *ſic te tua nomina laudant:*
*Laudari calamo qvî meliore potes?*

XXV.
Meſſor *An.* Mors es.

O*Mnia* Meſſori *ſine qvi diſcrimine falce*
*Dejicit, es ſimilis*, Mors, *qvia cuncta metis.*

XXVI.
Animus *An.* Nî Muſa.

Ni *Studiis* animum *Juvenis Virtuteq;* Muſa
*Mitiget, à bruto vix ſeparandus erit.*

In

XXVII.

In Nuptias

JOH. HENNINGII p. m.

& Virg.

DOROTH. ELIS. SUCOVIÆ,

Rev. Dn. DAN. SUCOVII

Paſt. Filiæ.

*Pentas Anagr. An. 1658. Menſ. Febr.*

(1) Joannes *An.* Annos ei.

ANnos *Mathuſala vivat vigeatq́ Joannes,*

*Et vitam vitæ proroget autor* ei.

XXVIII.

(2) Joannes *An* Anno eis.

ANno *vix lapſo fructusq́ ſeqventur amoris*

*Henniguluḿq dabit* Jova *benignus* eis.

XXIX.

(3) Joannes *An.* An Senio?

Sponſus ad Sponſam.

ANe *cupis in* Senio, *mea Sponſa Sucovia, gratum*

*Eſſe mihi fulcrum, ferre mihi reqviem?*

Suco-

XXX.

(4) Sucovia *An.* Vis? acuo.

I*Mò tibi fulcrum, ſi vis, gratumq́; lenimen*
*Suppedito, Senium mox* acuoq́; *tuum.*

XXXI.

(5) Ad Rev. Sponſæ Parentem.

Daniel Sucovius

*Anagr.*

Elocans vividus.

ELocans *natam genitor pudicam*
Vividus *multos videat Nepotes,*
Vividus *longè vigeat, diuq́; germinet, opto.*

XXXII.

In Nuptias

BENEDICTI BURGHARDI,

Paſtoris Mummendorf.

Benedictus *An.* Duc, ſit benè:
Ne bis ducet.

DUc *tibi, Burghardi, Sponſam virtute virentem,*
*Et DEUS, ut* benè ſit, *mox* benedicta *dabit.*

*Princi-*

*Principium* benè ſit, *medium* benè, *finis amœnus*,

Duc benè, ne ducas bis, *Tibi Sponſe precor.*

XXXIII.

Ad Dn. JOH. REUTERUM, ſub Præſid Dn. D. H. R. REDEKERI de Denunciationibus Roſt. An. 1656 publ. diſput.

Johannes Rûterus
*An.*
Næ hortus virens.

CEdite *Reutero prægnantes floribus* horti,
Næ *magis eſt* hort° *fertilis atq;* virens!
Hortus *hic ipſe* virens *pompâ majore decores*
*Exerit, & quæ ſit mentis imago docet.*

XXXIV.

Ad JOACH. STEINIUM, Meclenb. Th. Stud.

Stein *An.* Nites.

SUnt *variæ lapidum ſpecies: precioſior alter*
*Eſt auro, gemmæ nobile nomen habens.*

*Alter*

*Alter vulgaris meruit tantummodo dici,*
*Naturâ cum ſit vilior & pretio,*
*Te non vulgarẽ voco, qvi precioſus haberis,*
*Qvi virtute* nites *ac pietate* nites.
*Te beet ex altis benedicto flumine cœlum,*
*Utq́; diu vivas, ut* niteasq́; *diu.*
*Nec pedibꝰ vulgus Te, Steini, proterat, aſt te*
*In digitis ſervet celſus Apollo ſuis.*

XXXV.

In Album

BERNHARDI SCHULTZII,

Güſtrav. Th. Stud.

Schultziades

*An. Z. in* TS.

Sit thus clades.

SIt *tibi camprimis* thus *curæ, candide Schulzi,*
Thure *precum Stygiis infertur maxima* clades.

XXXVI.

In album JAC. MODEROVII,

Sed. Pomer.

Jacobus Moderovius
*An.* Obſecro, vivas domui.

Obſe-

OBſecro vota ferens, domui vivasq́; paternæ,
*Et* domui vivas, *qvam ſibi Chriſtus habet.*

## XXXVII.
## In Album
## CHRISTOPHORI CLASSII,
### Grabov. Mecl. Contubernalis.

Claſſius
*Anagr.*
Sis Lucas, ſic Salus.

SIs *Chriſto* Lucas, *ſanctos ſubeundo labores,*
*Sis Evangelij Præco, ferasq́; fidem.*
Sic *optata* Salus *qvoqve per te, candide* Claſſi,
*Orbi dicetur, ſalvus es ipſus eris.*
Sic *qvoqve grata* Salus Hermeti, *credo, pateſcet*
*Nomine cui noſtro plurima dicta* Salus.
*Imò* Salus ſic *in reliqvos mox ſangvine junctos*
*Certa redundabit*, ſic *qvoq; ſalvus ero.*

Poeta

XXXVIII.

Poeta *An.* Epota.

D*E multis verum fateor metagramma Poëtis,*
*Aſt mihi nil potius ſobrietate placet.*
*Metra qvidem, qvi vina bibit, citò ſcribere ſuevit,*
*Parturiet tardè carmina potor aqvæ,*
*Aſt modus obſervandus erit; non ebrius eſto:*
*Ebria mens rectâ nam ratione caret.*
*In medio Virtus conſiſtere dicitur: ergò*
*Si qvid habes* pota, *poſtmodò ſcribe metra.*

XXXIX.

Ad Dn. JOH. REUTERUM,

Johannes Reuter
*Anagr.*
En ornatè vires.

Q*Vî tibi, qvi* Vires, *poterunt tabeſcere* vires,
*Qvi ſatis* ornatè, *qviqve ſubinde* vires.

Ad

## Ad Eundem.

Reuterus *An.* Ter verus.

*QVi mihi nec Studio nec falſus amore fuiſti,*
Ter verus *ſimul ac fidus amicus eris.*

Tantum Hac Vice!
Tu, Amice mellitiſſime, valeas,
Et, qvæ diverſis temporibus venâq;
ſæpè invitâ conſcribere juſſus,
inq; faſciculum hunc colligere auſus,
boni conſulas.
Eſt eqvidem parum elimatus
parumq; diſertus;
(Id enim nemo mihi, ultro confitenti,
ogganire neceſſum habet!)
Tu tamen illum reſpicias
*Amoris Devinctiſſimi Hypothecam,*
& oſculari pergas
Tuum qvem amas.

ANAGRAMMATUM
M. A. D. HABICHTHORSTI,
Büzav. Meclenb. P. L. C.
*Ad Clariſſimos Prudentiſſimosq; Viros*
DN. JACOB. SCHRöDERUM,
Notar. Publ. immatricul.
Ejusdemq; Generum
DN. HENR. WITTEMEJERUM,
J.C. & Reip. Büz. Senat. primarium.
*FASCICULUS TERTIUS.*

I.

## De Anagrammatiſmo.

Anagramma
*per An.* Magna arma.

Q*Vamvis exigui non ſit* metagramma *laboris,*
Magna *tn. metris* arma *ſubinde parit.*
Arma *ſubinde parant* Anagrammata magna *Poëtis,*
*Materiemq; bonam ſuppeditare ſolent.*
*Hinc* Anagramma *placet ſcripturo carmen, & ecce*
*Cum* Metagramma *ſubeſt materiesq; ſubeſt.*

 *Hoc*

*Hoc proin inventum condendi metra vetuſtum*
*Non vulgare licet, Zoile prave, putes.*

II.

Ad Dn. JACOBUM SCHRÖDERUM, Not. Publ. meritiſs. Fautorem meum ſingularem.

Jacobus Schrœderus
*Anagr. H elid.*
Cos decoraberis uſu.

V*ir acuiſſe Virũ ſi rectè dicitur, eſt* Cos;
*Aſt* uſus Cotē *ceu* decorare *ſolet:*
*Sic qui jus acuis* Cos *en* decoraberis uſu,
*Interea metro condecorandus eras.*

III.

Ad Dn. HENRICUM WITTEMEJERUM,
J. C. & Senat. Reip. Büzav. prim.
Fautorem meum æſtimatiſſimum.

Henricus Wittemejerus
*H exſp.*
Virtute vincis meresve.

V*Irtutem ſequeris virtute cacumina* vincens;
*Hinc ut honoreris carmine ritè* meres.

IV.

Ad ACADEMIAM RO-
STOCHIENSEM.

Academia: Amica Dea.

QVæ Studium moderas, Dea, Phœbi candida Sedes,
*Sis nunc & Studiis ſemper* amica *meis.*

V.

Ad Magnif. VIRUM
DN. JOH. QVISTORPIUM,
Theol D. Prof. & Paſtorem, Acad.
Roſt. p. t. Rectorem ſummo-
pere ſuſpiciendum.

Qviſtorpius: Torqvis, pius.

TOrqvis *ut exornat, ſic exornare Lyceum*
*Te,* pie Qviſtorpi, *nil ſtatuiſſe vetat.*

VI.

Ad DN. JOHANNEM GEOR-
GIUM DORSCHEUM,
Th. D. & Roſtoch. Prof. prim.
Cùm iſte An. 1654 Roſtochium in-
greſſus Profeſſionem ag-
grederetur.

Joannes Georgius Dorſcheus,
Sanctæ Theologiæ D.

*Anagr.*

Ecce Organon DEI, os es, aſt gloria GUSTAVI, enodes.

ORganon Osq; DEI, GUSTAVI gloria *noſtri*,
*Codicis* enodes *ſacra*, *vocatus ades*.

VII.

Ad DN. CASPARUM MAURITIUM,

Th. D. Prof. & Superint. Roſtoch.

Mauritius: Viti ramus.

UViſer es Viti *ramoſa* ramus IESU
*Inſitus, auxilio cujus in orbe viges.*

VIII.

De immortali Viro

DN. AUGUSTO VARENIO,

Th. D. Hebr. & Catech. Chriſt. Prof. An. 1654.

Auguſtus Varenius, The. Doctor
Ore tu gratus donisve auctus.

Ore

O Re *Vir eſt* gratus doniſq; VARENIUS auctus,
*Quid? nimis anguſtâ prædico laude Virum*:
No*mine, mente, manu, facie, ſermone fideq;*
Gratus *hic ipſe ſolo,* gratus *is ipſe polo.*

IX.

Auguſtus Varenius Doctor,
Auctor Varni deguſto uſus.
Ipſe loqv.

A Uctor *ego* Varni deguſto *jugiter* uſus,
Deguſtantq; *ſimul qvos alit artis bonos.*

X.

Ad Eundem.
Auguſtus Varenius
Regnavus ſta vivus.

G*Ratia ſi fuerit cui ſedulitatis habenda,*
*Omnia tu Phœbo judice puncta feres.*
*Non ſpecie* gnavus *ſed* re *(documenta pateſcunt)*
*En* vivus ſtabis *nec moriturus eris.*

XI.

Auguſtus Varenius,
Tu Varni auges uſus.

USus tu *roſei decus indelebile* Varni
Auges, *hinc* auctis utitor *elogiis*.

XII.

Varenius: En varius!

EN variis *de te* variavi *Carmina verbis:*
*Cur?* varius *variâ dexteritate Vir es.*

XIII.

Varenius: Ei Varnus.

VArenii Varnus *vivaci voce vigeſcit:*
*Proptereaq́ꝫ favet Carmine* Varnus ei.

XIV.

Ad DN. BERNHARDUM GOSMANNUM,
Th. D. Phyſ. hactenus & Metaph. P. P. jam Straleſund. Paſtorem prim.

Doctor Bernhardus Goſmannus
*An. e. pro r. Cauſam mutationis vide Faſc. 2. Epigr.*

Corde noſtro magnus habend⁹.

*Sis*

SIs licet à nobis procul & diſceſſus ab urbe,
Corde tamen noſtro magnus habendus eris.

XV.

Gosman *An.* Magnos.

*EVax! jam patuit quodcunque Poëta † canebat:*
*Inter enim* magnos magnus *honore Vir es.*

† vid. part. alt. Schediaſm. A. TSCHERNINGII p. m. ubi ita vaticinatus eſt:
MagiſteR GOSMAN
GROSMAN.

XVI.

De CASPARO MARCHIO, Med. D. ejusdemq; & Math. ſup. P. P.

Cùm ille Calendarium ſuum toti Acad. Roſtoch. inſcriberet.

Marchius: Hic ramus.

*UNdique per totum ſua ſpargit ſcripta Lyceum:*
*Dicier hinc omni* ramus hic *ore meret.*

XVII.

Ad Dn. SEBASTIANUM WIRDIGIUM, Med. D. & Prof. P.

Sebaſtianus Wirdig,
Vir ave dignus ſtabis.

*Cur dedignarer tua prendere nomina metro,*
*Qui* dignus ſtabis *carmine*, dignus ave?

XVIII.

Ad Dn. M. HENR. DRINGENBERGIUM, Phil. Mor. P. P.

Cùm ille Decanus An. 1658 Menſ. Maj. gradum Magiſt. mihi contuliſſet.

Magiſter Heinricus Dringenbergius
*An. h. omiß.*
Decusn' ingens geris? ritè rigabimur.

Dringen-

DRingenberge! Decus geris ingens *atque verendum*,
*Ritè Profeſſoris munia quando* geris.
*Et quia* ritè geris, *nos inde* rigabimur *à te*,
*Et Studiis dignas* ritè *feremus opes.*
*Cujus ego teſtis, qui per te nuper honores*
*Atque Magiſterij nomina clara tuli.*
*Illius ergo memor ſæpiſſimè, mente revolvo,*
*Quî tibi pro grato munere grata feram.*
*Verum nil animus præter miſerabile carmen,*
*Quod tibi pro meritis reddere poſſit, habet.*

## XIX.

## Ad Dn. JAC. SCHRöDERUM, Not. Publ.

Notarius: Ornat jus.

JUra *juvas* ornasq; *ſimul, qui juſta procuras,*
*Quiq; fidem juri confers,* ornaris *eodem.*

## XX.

## De HENR. WITTMEJERO, Reip. Bützav. Senatore prim.

Wittmejerus
Vivet meritus.

CUra Senatorem vivum ſimul atque merentem
Efficit: hinc meritus, quem laudat Curia, vivet.

XXI.

De POESI
prox. ſeqq. Anagrammatibus
Nationis Meclenburgicæ
Studioſis
An. 1658 M. Mart. exhibitis, Præfationis loco præmiſſum.

Poeſis: Si opes.

SI de pane foret lucrando diva Poëſis,
Et gabatis multas accumularet opes,
Hanc multi colerent; aſt aurum condere neſcit,
Neſcit & hinc omni complacuiſſe Viro.

XXII.

Ad JOAN. BERNH. ZINZERLINGIUM,
Mecl. J. U. C.

Joan

Joan Bernhardus Zinzer-
lingius J. U. C.

*Alt. 2. in rſ.*

An cingeris rubrâ, nî Zelus
in Studio?

IN Studio nî Zelus *adeſt*, an cingeris
*unqvam*,
Rubrâ *legitimè*, *dic Studioſe, mitrâ?*
*Non! Licet hac multi ſine* Zelo *condeco-
rentur;*
*Non tamen hanc Studium promeret, aſt
loculus.*
*Debitus* in Studio *non dêeſt tibi* Zelus,
*Amice*,
Rubrâ cingeris *dignior inde mitrâ.*

XXIII.

Ad BARTHOLDUM à BüLAU,
Nob. Mecl.

Bartoldus à Bülo
Labor tuus Baldo.

ECce tuus Baldo labor *eſt & Juſtini-
ano*
*Sacratus, Juris nobiliumq́; Decus.*

*Baldum ſectaris, ſcrutaris Juſtinianum.*
*Qvi faculæ juris, præſidiumq; fori.*
*Pergito, te poſthac dicant & ab hoc & ab illo*
*Et faculam juris præſidiumq; fori.*

## XXIV.
## Ad HERMANNUM FRISIUM,
Kabelſtorf. Mecl. nunc ibid. Paſtorem.

Hermannus Frieſius
*H. negl.*
Musâ infrenes ruis.

V*Ivimus* infrenes! *nam qvis pecus inter & inter*
*Nos dare diſcrimen poterit, niſi* Muſa *juventæ*
*Virtutum Studiis animum, niſi mitiget arte?*
*Tu tamen* infrenes Musâ *Virtuteq; mores*
*Exuis atqve* ruis, *tua qvod mihi ſplendida morum*
*Dona, qvibus cunctis te præſentare modeſtum*

*Atqve*

*Atque pium volupe eſt, teſtantur: fortiùs inſtã,*
*Præmia Virtutis quoque te pretioſa manebunt.*

XXV.

De JOH. FRID. RöSELERO,
Dömiz. Mecl. LL. Stud.

Rœſelerus: Verè ſolers.

*ILle* Rosæ *noſtræ commotus odore fragrantis*
*Eſt* verè ſolers! *Tu* Rosa *teſtis eris.*

XXVI.

Ad JOH. RATHENIUM,
Grevismôl. jam Phil. Mag.

Ratenius: Vin ſertã?

*V*In *tibi poſt varios nectantur* ſerta *labores?*
*En te* ſerta *manent, te ſimul atque decent!*

XXVII.

Ad CORNELIUM PITTELIUM
Garz. Mecl. Th. & Ph Stud.

Cornelius Pittelius
Pius litet cor lenius.

Lenius

LEnius en Superis cor, ſed mortalibus æqvum,
Humanumq́; pius more decente litas.
Qvo magis eſt doctus qvis, eo (proverbia dicunt)
Eſt magis humanus! Cætera prætereo.

## XXVIII.

## Ad HENRICUM STENDELIUM,

Razeb. Mecl. Th. Stud.

Henricus Stendelius,
Cures nihil, eſtn' DEUS?

QVid curas? humana nihil te cura juvabit:
Eſt qvi pro nobis curat Jöva DEUS.

## XXIX.

## Ad JOHANNEM BERENS,

Mecl. Th. Stud.

Joannes Berens,
En bona inſeres.

QVæ bona non leviter juvenis, peramande Johannes,
In-mentiq́;-ſeres, ingenioq́; bibes:

Illa

*Illa bonis auctis*, en! *olim fronte ſerena*
*In ſenioq; metes, in ſenioq; feres.*

## XXX.

## De JOACH. STEINIO, Mecl. Th. Stud.

Joachimus Steinius
Iſten amicus Jovis?

Q*Vem jam*, Steiniades, *Phœbeo percita motu*,
*Viſit Habichthorſtl Pieris exigua*,
Iſtene *percharus* Jovis *eſt & gratus* Amicus?
*Iſtene Muſarum cor, amor atq; decus?*
*Sic eſt: hunc hominum divus pater atque Deorum*
*Diligit, huic Muſæ concomitando favent.*
*Nam licet hic nomen* lapidis *ſortitus, ob illud*
*Non tamen eſt ſtupidus, comis at eſſe ſolet.*
*Si vocem* lapidis *pro muto ſumere mens eſt*,
Steinius *haut* lapis *eſt: nam benè verba facit.*

Ad

## XXXI.

## Ad Eundem.

Steinius: Vis ineſt.

*INgenij, nec fallor,* ineſt vis *grandis, Amice,*
*Quamvis perſonæ* vis *tibi parva ſiet.*

## XXXII.

## Ad ANDR. SCHRôDERUM,

Bützav. Ph. & Th. Stud.

Andreas Schröderus Bützovienſis,

*z. in tſ.*

Ardes Studiis: honores beant curſus.

*ET te carminibus ſaluto paucis*
*Ingens Pieridum decus Sororum,*
*Inexplebilis helluo librorum,*
*Pars ſodalitij mei fidelis,*
*Pars amicitiæ meæ süavis,*
*Id nec immerito nec absque cauſa:*
*Nam te ceu oculos meos amavi,*
*Et te ceu oculos meos amabo*
*Dum Muſas colis elegantiores,*
Ardes *in* Studiis *tenaciterq́;*
*Scriptores Sophiæ celebriores*

*Evol-*

*Evolvendo ſacrumq́; bibliorum.*
*Sectando Studium patentiora.*
*Argumenta tui laboris edis.*
*Et te ceu oculos meos amabo,*
*Dum certi Studium manent* honores,
*Et certi Studium manent favores,*
Honores *Studij venuſtiores,*
*Favores hominum celebriorum,*
*Qvi* curſus *Studij tui* beantq́;
*Qvi* curſus *Studijq́; promovebunt,*
*Et* curſus *ſimul incitare poſſunt.*
*Hinc te ceu oculos meos amabo*
*(Sic me Pierides novem Sorores,*
*Et Tritonis amet Minerva) ſemper.*
*Nam qvem ceu oculos ſuos Camœnæ,*
*Et qvem ceu oculos ſuos Minerva*
*Amavereq́; perpetimq́; amabunt,*
*Hunc non ceu oculos meos amarem?*
*Tu* Schrödere *magis magisq́; perge,*
*Et Virtutibus artibusq́; pulchris,*
*Et ſanctæ Sophiæ magis magisq́;*
*Inſtando, celebrem merere laudem,*
*Sic te ceu oculos ſuos parentes,*
*Sic te ceu oculos ſuos propinqvi,*
*Et te ceu oculos ſuos amici*

*Et na-*

*Et natale ſolum lubens amabit,*
*Et te ceu oculos meos amabo,*
*Ingens Pieridum decus Sororum,*
*Inexplebilis helluo librorum.*

XXXIII.

De ZACHARIA GRAPIO,
Tetrav. Mecl. Ph & Th. Stud.

Zacharias Grapius
*z. in t ſ.*
Sacris paratus agi.

OFficiis ſacris *magna cum laude* paratus,
*Et variá* Grapius *ſorte* paratus agi.

XXXIV.

Ad CHRISTIANUM FROMMIUM, Büzav Mecl. Th. & Ph. St.

Chriſtianus Frommius Butſovienſis,
Bonus ſummo Enti charus, ſtr(riis ſitis.

INteger *atqve* bonus, Chriſti *veſtigia qværens,*
*Eſt* Enti ſummo charus *utrinq́ DEO.*
*Aſt Satanæ minimè* furiis *eſt* charꝰ, *iisdem*
*Sed magis infenſus; diligit ille malos.*

Qvi

*Qui* bonus *atque pius, Satanæ* ſitis *atque cupido*
*Hunc infernalis concomitando manet.*
*Quod tibi contribuas, gemini qui nominis hæres*
*Egregius, geminũ nomen & omen habes.*
*Audis à* Chriſto Chriſtjanus *& inſuper audis*
*A pietate* pius, *à probitate probus.*
*Sis porrò tamen usque* pius Chriſtjanus, *Amice*,
*Tum fueris* ſummo charus *utrinque* DEO.
*Diraq́; nec poterit* S*atanæ* ſitis *atq; cupido*
*Inſidiaq́; tibi conciliare malum*.

XXXV.

Ad DAN. GEORG. MORHOFIUM, Wiſm. Leg. Stud.

Daniel Georgius Morhofius
Esn' homo frugi, dives gloria?

T*E tua commendat virtus, nec carmine quoquam*
*Amice ſuavis, indiges.*
*Interea noſtris quia nuper honoribus odâ*
*Eras paratus optimâ;*

*Hoc*

*Hoc breve retribuens*, hominem *te prædico* frugi,
*Qvi* dives *æqva* gloria.
*Gloria per præceps iter & pernicibus alis*
*Te fert ad orbes extimos.*

## XXXVI.

## Ad ANDR. SCHRöDERUM, Buzav. Mecl.

Cùm An. 1659. Menſe Majo Roſtochio Wittebergam abiret.

Witeberga: Vigeat uber.

Q*Vam petis ab!* uber vigeat Witeberga *columnis:*
*Tuq́;* vigens *redeas* uber *honore, precor.*

## XXXVII.

## In ejusdem Teſtimonium qvo ipſi Magnif. Acad. RECTOR viam adeundi Witebergam parabat.

Teſtimonium
Munitis meto.

Teſt.

ME benè munitis meto commoda: comparet ergò
Me munimentum docta juventa bonum.
Præſtat honorificè me qvi munitus abibit,
Qvam me neglecto qvi peregrina petet.
Fuge relegati, Juvenis, fuge nomina: nulla
Namqve relegato fama ſuperſtes erit.

XXXVIII.

De JOH. WESTPHALIO, Göttingâ Brunſv. LL. Stud. Cum ille Roſtochio in Patriam diſcederet.

Joannes Weſtphalius,
E votis is planè navus.

QVi molitur iter, ſe qvi ſubducit amicis,
E votis planè navus is usqve fuit.
Navus erat Themidos virtutis & artis amator:
Nunc patriam repetens dives honore meat.

Ad Eundem ex eodem.

I plenus, vita veſanos.

H*Actenus ad Varnum juvat invigilaſſe Camœnis,*
*Ut doctus fieres, jammodo* plenus *abis.*
*I quo fata trahunt virtutis acumine* plenus,
Vita veſanos *concomitando bonos.*

XL.

In qvendam FRIDERICUM.

Fridericus: Fur diceris.

S*I vulgo ſit habenda fides,* fur diceris: *ô ſi*
*Non re ſed tantùm ſuſpicione fores!*

ANAGRAMMATUM
M. A. D. HABICHTHORSTI,
Büzav. Meclenb. P. L. C.
*Ad Pereximium, Ingenioſum & Literatum*
# DN. ERNESTUM SüLTMANNUM,
Artis & Martis hactenus Cultorem cumprimis ſtrenuum, Architectonicæ militaris optimè peritũ, Juvenem liberalis animi Characteribus apprimè fulgentem,
## *FASCICULUS QVARTUS.*

I.

Ad Dn. Erneſtum Sültmannum,
*Erneſtus* Anagr. *En terſus!*

Qvicqvid habes & qvicqvid amas,
*Sültmanne!* (fatebor)
Te celebrat *terſum*, teq; latere vetat.
Nam *Fortuna* favet, *Genus* inclita nomina prodit,
Dat decus *eloqvium*, nec latet *ingenium*.

 Ter-

*Terſaq;* mox *terſos* Neonympha parabit amores:
O utinam *terſo* nunc qvoqve *terſa* darem!
*Terſa* dabas, metra pauca † ſuperbo munere penſans,
Hinc decet ut pendam munere munus: habe!

† *Vid. Faſc. 2. Epigr. 31.*

II.

Ad Dn. Henricum Rhanen, J. D. & Prof. Conſiſt. Duc. Aſſeſſ. Acad. Roſt. Seniorem.

*Doctor Heinricus Rhanius,*
*En juris charus conditor.*

Jura ruunt! qvis reſtituet? Tu *Conditor æqvi*
*Charus* id integrum reddere perge foro.

III.

In Rectoratum Academicum Dn. Michaelis Cobabi, Th. D. & Math. P. P. Fac. Phil. p. t. Decani, qvo fungebatur Roſtochi Anno 1658.

*Rector*

*Rector Academiæ*
*Arceat ora medicè.*

EX-Rector Medicus nunc *Marchius* alma *Cobabo*
Theiologo tradit munia Magnifici.
*Arcuit* is *medicè* jam criminis *ora* proterva,
*Arceat* hic pariter faſcibus omne malum.
Qvæ *Medicus* relevat, minimè contagia *Rector*
*Theiologus* refricat, qvin benè conveniunt.
Sis igitur Medicis Medicus, jurisq́ peritis,
Theiologis Medicus ſis bonus atq́ Sophis.

IV.

*Michael Cobabus, Doctor, Profeſſor, jam Decanus (eſt) ut & Rector Magnificus,*

Anagr. ἐμμετρον.

*CErtè futurum grande (eſt) hoc onus tibi!*
*Acclamo: portes, dico, faſces; Mors abi!*

V.

Rector: Ter Cor.

MAgnificus Rector mihi *Cor ter* jure vocatur,
*Ter Cor* honoratur. *Cor* uti cuncta regit,
Ceu *Cor* in medio (medium tenet optima virtus)
Ceu præſtat reliqvis nobilitate ſuà:
Sic tenet imperium Rector, mediumq; Lycei eſt
Nobiliusq;: proin *Ter Cor* hic ipſe cluit.

VI.

*Magnificus Rector,*
*Magnus Cor reficit.*

M*Agnus* honore Vir eſt, *magnus* virtute, verendo
*Magnifici* qvisqvis fungitur officio.
*Magnos magna* decent: *Reficit Cor* ergò Lycei,
Compeſcens reprobos dum tegit innocuos.

*Cor*

*Cor reficit*, qvando Studium virtutis & artis
Magnifico Sceptro promovet atq; regit.
*Cor reficit*, qvando Studium pietatis ubiqve
Munifico Sceptro dirigit atq; tegit.
*Cor reficit*, qvando Studiis ſua præmia curat
Diſtribui. Qvidni *magnus* in orbe ſiet?

VII.

*Magnificus Rector,*
*Meri ſucco frangit.*

Vina ſolent vulnus mordere, *meroq́;* Jehovæ
Lex ſimilis, mordens corda profana ruit.
*Sceptra tenens* hujus mordacia vina reſervat,
Et *ſucco frangit* pectora dira *meri.*
O nos felices, ſi legis frangimur irâ,
Tunc oleum curat ſaucia corda ſacrum!

VIII.

*Michael Cobabus,*

h. negl. c s. coaleſc. in x.

*Mali excubabo!*

Alloqv. Cives Acad.

NOcte dieq;, *Mali!* modò nomina celſa timete,
Nunc *excubabo* pervigil:
Criminis ultor ero.
Nocte dieq;, Boni! modò nomina noſtra fovete,
Nunc *excubabo* fideliter:
Commoda veſtra puto.

IX.

*Magnificus Rector,*

*Fortes accingimur.*

Alloqv. Studioſ. Meclenb. Societatem.

FOrtes en operi qvia nos *accingimur*, euge
*Accingare* piis obſeqvioſa viis.

X.

*Natio Meclenburgenſis,*

*Non liger, mens ſubjecta.*

Respond.

Reſpond.

NOn *liger*, aut loris gaudentia brachia ſtringar,
*Mens ſubjecta* lubens, Magne Vir, obſeqvitur.
Cur *liger* aut ſtringar, tibi cur parcere gravarer?
Eſt eadem tecum patria terra mihi.
Ergò, DEO comitante tuoq; favore, ſecabo,
Qvam lex præſcribit, more decente, viam.

XI.

*Amandus: Da manus.*

Alluſio ad diem Introductionis (26. Octob) *Amando* aliàs ſacrum.

UNa dies offert rata per ſuffragia faſces,
Atqve Decanatus ſplendida jura ſacrat.
Grata dies, mihi ſemper *amanda*, colenda, canenda,
Qva Studiis noſtris *Rector amandus* adeſt.

Læta dies, *da* promta *manus* feliciter ambas,
Rector adeſt Fautor, Fautor *amandus* adeſt.
Fautor *amande manus* fautrices poſcimus omnes,
Porrige; noſtra *manus* munia promta ſubit.

XII.

De acerrimo orthodoxæ fidei Propugnatore

Joh. Georgio Dorſcheo,

Th. D. & Prof. primario.

*Joannes Georgius Dorſcheus D.*
*Generoſus agone diu diſcors.*

HÆreticis minimè cedit *generoſus agone*,
Sed potius *diſcors* gaudet *agone diu*.

XIII.

Ad Dn. M. Enochum Svantenium

Roſt. ad D. Jacobi Archid.

*Svantenius: Unitus ſanè, Tu ſanè unis.*

PEctora *Tu ſanè* ſancto cœleſtibus *unis*
*Unitus* Zelo: Concio teſtis erunt.

De

XIV.

De M. Joh. Bellino,
Sch. Wiſm Rectore florentiſs.
Cum mihi elegantiſs. ſuum de ORTHOGRAPHIA Germ. tractatum transmiſiſſet.

*Magiſter Joannes Bellinus:*
*Is arte ingens, animo bellus.*

NOn mea ſed præſens hæc eſt ſententia Phœbi:
*Ingens arte* Vir & *bellus is* eſt *animo*.

XV.

Ad M. Carolum Schröderum,
Islebienſ. Paſtorem h. t. exulem.

*Carolus: O clarus!*

EſtCaroli nomen per tempora plurima *clarum*: (*tus* erat.
Cæſar enim *Carolus* nomine *Qvin-*
Tuq; ferens nomen *Caroli* cum laude coruſcas: (gemo.
*O* mihi *Schröderus clarus!* obinde
*Clarus amore* mihi, mihi *Clarus more* videtur,
*Ore* mihi *Clarus*, *re* qvoq; *Clarus* erit.

XVI.

Ad M. Joh. Conrad. Bartium, Argentoratenſem.

*Bartius* : *Artibus*.

B*Arba* Virum decorat! Tibi qvamvis *barba* ſuperſit
Parva, tamen, *Barti*, ſat decoratus ades.
*Artibus* inſtructus qvî qvæſo decore carebit?
*Serta* † gerit qvoniam, qvæ decus omne ferunt.
Ergò dum *ſertis* ut & *Artibus* undiqve fulges
*Terſis*, *terſa* geris nomina, grande decus.
Grandius excreſcat decus hoc, ceu *barba* ſubinde
Creſcere conſvevit, *barba* Virum decorans!

† *Artes* : An. *Serta*, *terſa*. Vid Faſc. 2. An. 4.

XVII.

Ad M. Antonium Zvvickium, Lipſtad. Weſtphal.

*Anto-*

*Antonius* : *In a notus.*

PRincipium notat *a*, notat *a* qvoqꝫ prima valore,
*A* notat in ſacris, qvi ſine principio.
Ergò *notus in a* cumprimis *notus* es, id qvod
Teſtantur ſtudii ſat monumẽta Tui.
*Notus in a* palmam qvoqve præripuiſſe videris,
Optima virtutis qvod Tua palma notat.
*Notus in a* Chriſto ſimul atqve fidelibus ejus
*Notus* es: id pietas, ſpes probat atqꝫ fides.
Præcipuè *notus*, cum palmâ *notus* ameris,
*Notus* ameris *in A*, *notus* ameris *in O!*

XVIII.

Ad M. Johannem Maſium, Svanenſ. Meclenb.

*Maſius* : *Samius*, *Sim Vas.*

DIxero, ſi curſum ſtudii reputare liceret:
Masi! Tu *Samius* pænè videre mihi.

In ſtudiis etenim tractas arcana ſilendo,
Nec vulgas veluti garrulus iſta foris.
Præ nimio multi, qvæ norunt, ſpargere faſtu
Cuncta ſolent, ſed Tu tempora ju- (ſta tenes.
Tempora dein venient, Te qvîs prodire decebit,
Qvæ referent: *Vas* hic *ſit* maneatq; DEI!
Interea ſtatuit malè qvam translatio † qvondam
Pythagoras *Samius* Te, Vir Amice, fugit.

† μετεμψύχωσις *animarum ex uno corpore in aliud.*

## XIX.

## Ad M. Georgium Neuhenck, Luneburgenſem.

*M. Georgius Neuhenck,*
*Hunc noſce Egregium.*

E*Gregium* Sophiæ qvi Te negat eſſe Magiſtrum,
Ignorat ſtudii puncta coruſca Tui.

Vivida

Vivida conteſtor Sophiæ documenta laboris: (Virum.
*Hunc* proin *Egregium*, Zoile, *Noſce*

XX.

## Ad M. Johannem Amſelium, Roſtochienſem.

*Amſelius*: *Laus meis*, *Almus eis*.

A*Mſelicum* genus eſt per pluria nomina clarum,
Præcipuè cantus dum colit atqve metrum.
*Pancratius* Vates obiit, veſtigia cujus
Et *minor* & *major Filius* inſeqvitur.
*Ulricus* celebri celebrat ſacra Numina cantu,
*Progenies* cujus promovet acta fori.
Tuq; tuusq; *Parens* & *Frater* honoribus eſtis (*Scholam*:
Non minus ornati. Teſtor, Amice,
Teſtor eam, ſtudiis qvæ confert commoda noſtris, (ta fides.
Huic *Patris* & *Fratris* nam benè no-
Per tua nunc porrò genus inclareſcere geſtit (*mus eis*.
Nomina: namq; *tuis Laus* es & *Al-*

Ad

## XXI.

## Ad M. Georgium Dammium, Roſtochienſem.

*M. Georgius Damme, R.*
*Momum aggrederis.*

DOctos diſcruciat *Momus*, multiq; reſiſtunt;
Aſt alii *Momo* ſuccubuiſſe ſolent.
*Momus* ad invidiam Te doctum novit, & inde
Carpit, at aſſiduè Tu magis *aggrederis*:
*Aggrederis Momum*, non ullius ora verendo,
*Aggrederis* Muſas amplificando tuas.
*Mome* procul blattis tineisq; nocentior eſto,
Plus tua, qvam proſunt, impia tela nocent!

## XXII.

## Ad M. Joh. Henricum Domeſium Luneburgenſem,

*Domeſius: DEO, Muſis.*

ILle *DEO Muſisq;* ſuam dicat undiq; vitam,
Et benè! nam meliùs vivere nemo poteſt.

Ad

XXIII.
Ad M. Protaſium Beſelinum, Roſtochienſem.

*Protaſius:* *Ortu ſapis.*

ORtu qvando *ſapis*, ſapientis amabilis Hæres,
Nunc magis atqve magis, ceu patet, *arte ſapis.*
Multi non *Ortu ſapiunt*, tamen *arte* coruſcant,
*Artes* ac *Ortus* Te *ſapuiſſe* probant.

XXIV.
De M. Joh. Rathenio, Grevismol. Meclenb.

*Ratenius:* *Arte unis,*

ARte ſibi primùm *Ratenius unit* honores:
Sanctâ deîn homines *unier arte* Deo.

XXV.
Ad Joh. Drepperum, Weſtph. Th. Stud.

*Joannes Drepperus,*
*Superiora pendens.*

Infima

INſima tu floccifaciens ſupremaq́; pendens
Numina, non melius poteras abſolvere *penſum*.

## XXVI
## Ad Andr. Jegerum,
## Lubec Th. Stud.

*Andreas Jegerus,*
*Aere dignus eras.*

DIgnus is eſt terrâ, qvi nil niſi terrea curat:
Tu ſapiens *aër, aëre dignus eras.*

## XXVII.
## De Petro Clüvero,
## Crempenſ. Holſ. Jur. Stud.

*Petrus Clüverius,*
*Pulcer rivus eſt.*

R*Ivus* hic *eſt pulcer*, qvi juris fonte propulſus
Profluet ac miſeri jure rigabit onus.

In

XXVIII.

In Obitum

*Matronæ laudatiſſimæ*

Tilſæ Wedigen,

ad ejusdem Filium

Joh. Joach. Stôverum,

Civem Roſt. primarium.

*Tilſa: Alſit, Salit, Talis, Latis, Litas.*

ILla crucis patiens Mater ſudavit & *alſit*
*Tilſa*, dehinc moriens lucis alumna *ſalit*.
Tuq; pius *talis*, qvalem Scriptura popoſcit,
Fletibus huic *latis* debita jura *litas*.

XXIX.

*Stöveria: Ritè ovas.*

Ad p. Defunctam.

QVæſtio, num te mors an tu ſuperaveris illam?
Poſterius, qvando *ritè*, probatur, *ovas*.

*Stöveria:*

## XXX.

*Stöveria*: *Sat vireo.*

p. Def. loqv.

QVi ſicca marcere putat me morte peremtam,
Fallitur: en Civis cœlica *ſat vireo.*

## XXXI.

Ad Frid. Topffium,

Neobrand. Mecl. LL. Stud.

*Friedericus Topfius*:

*Fortiùs fidere cupis.*

NEc tibi *diffidis*, nimium nec *fidere* prodeſt;
*Fortiùs* at juri *fidere* jure *cupis.*

## XXXII.

Ad Dan. Georg. Morhofium,

Wiſmar.

Poemata varia edentem.

*Morhofius*: *Homo furis.*

NOn *furis*, ut multi furiunt ratione carentes,
Aſt, *Homo* docte, ferens ingenioſa *furis.*

Ad

XXXIII.

Ad Arnoldum Hermannum Landsbergium,

Wolfenb. Sax. literis metricis multoties me viſitantem.

*Landsbergius: Blandè ſurgis, Blandus geris.*

B*Landus* amas metrum, virtuti *blandior* inſtas;
Hinc *blandè ſurgens* nomina *blanda geres*.

XXXIV.

Ad Franciſcum Wilhelmum à Ramshauſen,

Weſtph. Th. Stud. de Pœnitent. publ. diſput.

*A Ramshauſen: Ah ſanaremus!*

A*H ſanaremus!* ſic verſo nomine clamas,
Et, qvam diſcuties, pagina dicit idem.
*Ah ſanaremus* reſipiſcendoq́; nefandos
Mores & Satanæ deſtrueremus opus!

Hinc

Hinc tua *ſanatur*, cui vitâ deſide multi
Vulnera conſciſcunt, mens ſimul atqve ſapit.
Imò piè cœptas ſi continuaveris artes,
Sanus es & ſapiens, atqve ſaluber eris.

## XXXV.

### Ad Johannem Morianum, Lubec. Th Stud. Me opponente publ. diſputantem.

*Lubecenſis*: *En bis luces.*

LUminis Urbs inſtar magni *Lubeca* refulget,
Et qvia *Lubecæ* natus es ipſe nites.
Cùmq; ſimul benè ſis natus ſtudiisq; politus,
Te *bis lucentis* gloria digna manet.
Jamq; (ſit hoc felix!) ter & amplius euge renides,
E Cathedrâ qvando fulgida verba ſonas.

ANAGRAMMATUM
M. A. D. HABICHTHORSTI,
Büzav. Meclenb P. L. C.
*Ad Pl. Rev. & Clariſſimum Virum*
# DN. JOHANNEM ENGEL,
Eccleſiæ Büzavienſis
PASTOREM
vigilantiſſimum,
Doctrinæ pariter ac Vitæ ſinceræ
addictiſſimum,
*FASCICULUS QUINTUS.*

I.

Ad Lectorem
De Johanne Engel,
Eccleſiaſte Büzav.
*Joannes Engel Paſtor.*
Anagr.
*Legen' Siona perſonat?*

P*erſonat* hic ſanctam Zelotes *lege Siona*,
Ut precibus cœlũ *perſonet* inde *Sion*.

Cumq́; meas hæc fama Viri bona *per-ſonet* aures,
Carmen huic meritum me *reſonare* juvat.

II.

## Ad Dn. Joh. Engel.

*Joannes Engel: Næ ingens Leo!*

I*Ngens* Tu contra Satanam *Leo*, qvando *Leonis*
Auxilio Chriſti deſtruis hoſtis opus.

III.

## In Nominalem Dn. Michaelis Cobabi, S. S. Th D. & P. P. Hoſp. ac Prom. mei devenerandi.

*Michael Cobabus, Sanctæ Theologiæ Doctor, atqve Matheſis Profeſſor Publicus Celebratiſſumusqve.*

Per Anagr. metricum *tribus lineis poſterioribus expreſſum.*

ANngelicum memorat lux præſens feſta triumphum,
Veſtrumq́; *Nomen* ruminat,
Vota proinde feram:

*Sæpius*

*Sæpius hoc Feſtum celebres, ſublimia tra-*
*ctans,*
*Hoſtesqve Cœlum abigat loco hoc,*
*Qvos ſuperare dabit!*

IV.

*In Obitum*

Academiæ & Eccleſiæ luctuoſiſſimum
Famigeratiſſimi Theologi
Johannis Georgii Dorſchei,
Profeſs. in Acad. Roſt.
primarii.

*Dorſcheus, (c s coaleſc.) Dux, Heros.*

Ακρόστιχ.

DUX Obiit Rectorq; Scholæ Celeberrimus, H*eros*
Eccleſiæ Vatesq; Splendidiſſimus.

V.

*Joannes Georgius Doerſche, Theol. Doctor,*

Nominis ſui Anagrammate metrico
Mortales alloqvitur immortalitate donatus.

*Charus ego dotes cœleſti dignor honore.*

ANNO:
Ioan georg DorsChe, theoLogIæ
profeſſor prIMarIVs.

VI.

De Caſp. Mauritio, Th. D. & Pr.
Paſt. & Superint Roſt.

*Superintendens: En Petrus nidens.*

CEu *Petrus* inter erat Sanctos, qvos
*Chriſtus* amabat,
Os & Apoſtolicæ gentis honorus
apex.
*En ſic Mauritius Petrus* eſt Ephorusq;
*renidens*,
Dum ſacrum moderat more decen-
te Chorum.

VII.

Ad Dn. Joh. Qviſtorpium, Th. D.
ejusdemq; Prof. & Paſt. Jacob.
& Dn. Nicolaum Ridemannum,
Th. Lic. Eccleſiaſt. Marianum.

*Paſtor: Raptos, Partos, Portas.*

A Satana *raptos*, at *Chriſti* Sangvine
*partos*,
Nobile par, *portas*, hinc tibi *porta*
patet.

*Paſtor*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0116
DFG

*Paſtor* oves *portans*, *portas* ingreſſus Olympi,
*Raptas* & *partas* participabit opes.

VIII.

Ad Dn. M. Joh. Steinium, P.L.C.
Paſt. Nic. & Miniſt. Seniorem.

*Miniſterium*: *Time muniris.*

NIl magis offendit Satanam, qvam pompa ſacratæ
Militiæ, *Senior* ſancte Miniſterii.
Aſt tibi qvid Satanas? modo Numina ſumma *timeto*,
*Muniris* Superûm moxq́; ſatellitio.

IX.

Ad Dn. M. Joach. Schrôderum,
ad Ædem D. Johann. Eccleſiaſt.

*Sacerdos*: *Cor ſedas.*

DUm *Cor* anguſtum verbi ſolamine *ſedas*,
Jure *Sacerdotem* te pius omnis amat.

X.

Ad Dn. Joach. Lindemannum,
ad D Petr. Diaconum.

*Diaconus*: *Duc Siona.*

DUc, uti ritè facis penetranti voce, Sionam:
Atqve Sion ſecum te ſuper aſtra vehet.

XI.

Ad Dn. M. Henricum Müllerum,
Th. Doctorandum, ad D. Mar. Archidiaconum, jam Græc. L. P. P.

*Diaconus*: *Vi condas.*

CHriſticolæ *condens vi* Flatus ſancta cohortis
Mænia, cœleſtes en tibi *condis* opes.

XII.

Ad Dn. Blaſium Grabium,
Sch. Guſtr. antehac Conr. nunc Roſt. RECTOREM floridiſs. olim Præcept. meum exoptatiſſimum,
Cùm ille Sceptra Schol. Roſt. An. 1659. d. 21. Jul. ſolenniter capeſſeret.

*Blaſius Grabius*: *Albus ibi ſurgas.*

A*Lbus ibi ſurgens*, ubi nunc pia Sceptra capeſſis,
*Ter* † *magis Albus* abhinc *ſurge, reſurge*, precor.

† Magiſter

Ad

## XIII.

## Ad Eundem.

*Blaſius: Bis laus.*

L*Aus* tua Guſtravii qvæ ſat celebrata coruſcat,
Roſtochii nuper jam renovata viget.
Ergò, tibi *laus* eſt qvia *bis* cantata, nec abs re
*Bis* mihi *laus* audis. *Laus* tua *trina* ſiet!

## XIV.

## De Eodem.

Cùm An. 1659. d. 25. Octobr Roſtochii PH. MAGISTER jure ſuo ac merito crearetur.

*Blaſius: Is albus, Sub alis.*

Pondere, Sceptrigero qvicqvid Metagrammate nuper
Vaticinabamur, non caruiſſe liqvet.
Namqve Facultatis Sophicæ jam ſerta *ſub alis*
Excipiens, titulis *ter magis albus is eſt.*

XV.

Ad Frid. Ummelmannum,
Sch. Roſt. ConRectorem.

*Friedericus Ummelmannus,*
*Cum fundis, Minerval meres.*

SÆpius aſſiduâ minus arte juventa docetur,
Ut mereant omnes æra perinde minùs.
Sæpius at fidâ magis arte didactra merentur,
Sed minus aut nullum pænè *Minerval* adeſt.
Tu tamen *infundis* Juveni *cum* dona Minervæ,
Ecce *Minerval* habes, id ſimul atqve *meres.*

XVI.

Ad M. Adamum Seidenſvvanz,
ejusd. Sch. SubRectorem.

*Seidenſvans: Vas nidens es.*

EX tenerâ formans doctiſſima nomina pube,
En *nidens* veſtræ *Vas es*, Amice, Scholæ.

Ad

XVII.

Ad M. Theodorum Ölpkenium, SubConRectorem.

*Olpkenius. Luce ponis, (hinc) Luci pones.*

L*uce* Tua *ponis* qvia fundamenta juventæ,
*Expones Luci* nomina docta dehinc.
Et qvæ *Luce* Tuâ jam nomina docta *reponis*,
*Exponent Luci* munera grata Tuæ.

XVIII.

Ad M. Ulricum Amſelium, Cantorem Marianum.

*M. Ulricus Amſelius, Ille ramus Muſicus.*

I*lle* meis *ramus* (qvi projicit undiqve frondes)
*Muſicus* ut metris audiat, arte meret.

XIX.

Ad M. Henr. Amſelium, P. L. C. & Sch. Roſt. Colleg Claſſicum.

*Amſelius, Is Samuel.*

COelicolûm Vates *Samuel* celebrabat Iövam,
Muſarum *Samuel* ſic pia facta ſonas.
Vatem te noviter meus exornavit Apollo
Gôzius, & *merulâ* ſvaviùs ore canis.
Nunc magis in votis nihil eſt mihi, credere fas eſt,
Qvam *Samuel* ſummi ſis maneasq; DEI.
Durus enim labor eſt pueros tractare petulcos; (tiplicat!
Horreo ſudores, qvos Schola mul-

XX.

## Ad Henricum Müllerum, Cantorem Jacobæum.

*Heinricus Möllerus Cantor,*
*Vir, Chorus molliter canens*

VIr es, Amice, *Chorum* variis qvi cantibus ornat,
Cui *Chorus* eſt præſto *molliter* arte *canens.*
Qvid? qvod & ipſe *Chorum* ſuperas dulcedine vocis,
Unde Tibi meritò gratia multa manet.

Ad

XXI.

Ad Wilhelmum Schmid,

Cantorem Nicolaitanum.

*Wilhelmus Schmid,*

*h. e. liſ. Muſicus mel Ludi.*

VIx Schola ſubſiſtet, qvæ ſit Cantoribus orba:

*Mel* ſiqvidem *Ludi Muſicus* usq; fuit.

Te Schola, Te Templum qvoqve *mellis* adinſtar adhelant:

Cur? celebris celebri *Muſicus* ore canis.

XXII.

Ad Andream Eberh. Amſelium,

Cantorem Petrinum.

*Andreas Eberhardus Amſelius,*

*Amabere, Res Ludi ardes ſanus.*

TRes tua ſenſerunt jamtum moderamina *Ludi,*

Qvod *Rhena* teſtantur *Güſtravis* & *Plavium.*

Nec tamen exhorres tot poſt moderamina Ludos,

Sed qvartam *Sanus* pergis amare Scholam.

Hem benè! Qvis *Ludi Te Res ardere ne-*
gabit ?
*Sanus* & æger amans hinc *redaman-*
*dus* eris.
Gratia namqve decet *Ludi* veneranda
Magiſtros,
Sit licet hoc ſeclo gratia rara Scho-
læ.
Gratia Te maneat! me me veſtigia ter-
rent;
Me *Lychen* & *Strelitz* commeminiſſe
piget.

## XXIII.

## Ad Eundem
### Amicum meum ſingularem.
### *Cantor, Cor nat.*

EST communis amor *Cantoribus* at-
qve *Poëtis*,
*Cantor* amat vinum, qvando *Poëta*
merum.
Qvando *Poëta* merum potat, citò car-
mina condit,
Sic ubi *Cantor* amat vina, ſubinde
canit.

Svavis

Svavis uterqve canit, cum ſvavis redditur humor,
Si modo non modium ſumſerit aſt medium.
Qvis nobis igitur *Cantorib⁹* atq; *Poëtis*
Id vitio vertet, cum juvat ora merum?
Sed commune malum *Cantoribus* atqve *Poëtis*
Pauperies, vinum qvæ renegare ſolet.
Nec refert! Etenim præſtat me judice, qvando
*Nat Cor* amore DEI, *Nat Cor* honore DEI.
Te tamen interea Cantorem grata Poetæ
*Epotaturo* vina parare decet.

An. *Poeta.* *Conf. Faſc. 2. Anagr. 38.*

XXIV.

In Menſam Cobabianam,

A *Mens* † ſis eqvidem, tibi fercula qvando negantur,
Nec Chorus accumbit, qvi ratione valet;

Si

Si tamen hæc fuerint, uti ſunt, tria
ſvavia præſto,
*Cantharus* ora juvans & *Cibus* atqve
*Chorus*.
Tum magis es ratione potens: ideoq́;
freqventi
Nunc magis usqve *Choro* concomi-
tata † *manes*.
† *Menſa*, An. *Amens*, *Manes*.

*An. 1659. Chorum hunc ſe-
qventes conſtituebant Studioſi, Com-
menſales mei jugiter amandi.*

XXV.
De Adolpho Friderico Theſant,
Sverinenſe, Dicaſterii Sternber-
genſis, dum ſupererat, Regi-
ſtratore.

*Adolphus Friedericus Teſand,
A dolis purus hic res defendat.*

RES malè defendit re caldus & al-
ſus in unâ:
Ergò *defendat purus hic absqve dolis*.

Ad

XXVI.

Ad Bartholomæum Roloffs, Curlandum.

*Curlandus: Lucrandus.*

SI mihi Fautores liceat *lucrare* Poësi,
Tu mihi *lucrandus* carmine Fautor eris.

XXVII.

De Johanne Berens, Meclenb.

*Joannes Berens: Benè eris annos.*

QVi *benè* ſe moderans juveniles tranſigit *annos*,
*Annos* innumeros deîn *benè* cultus *erit*.

XXVIII.

Ad Nicolaum Clüverum, Crempenſ. Holſat.

*Nicolaus Cluverus,*
*Colluces Vir navus.*

INter qvos animo licuit pervolvere cunctos
Juris amatores Te redamare lubet;

Nec

Nec ſine jure lubet: Qvi juris *navus* amator,
*Collucet*q́; pius, dignus amore *Vir* eſt.

XXIX.

Ad Gregorium Rittershauſen, Verdenſem.

*Rittershauſen*: h. elid. *Trinus es arte.*

NOn, uti ſunt multi, ſimplex, at *trinus es arte*,
Idq́; patebit abhinc, qvando Magiſter eris.

XXX.

Ad Frider. Albertum Waſmund, Guſtrovienſem.

*Waſmundius. Vivas mundus.*

M*Undus* amet qvæ *munda* minus; Tu ſtercora *mundi*
Exhorrens *mundus vivis* amasq́; DEUM.

XXXI.

Ad Fridericum Johanſon, Rig. Livonum.

*Fridericus Johanſon,*
*I coronandus feriis.*

Dum

DUm Tibi, *Janſoni*, lubet exantlare labores,
Nec præ labore concupiſcis ferias:
Ecce, *coronandus* qvoqve poſt certamina, ſaccis
I lætus obviam futuris *feriis*.

XXXII.
Ad Andream Fôrſelium,
Rev. Livonum.
*Forſelius*, *Sol fueris*.

HAut omni ſtudiis licet *inclareſcere*; ſed Tu
*Sol fueris* patriam clarificando tuam.

XXXIII.
Ad Petrum Kivitium,
Sedinenſ. Pom.
*Petrus Kivitius* c. pro k. *Civis erit putus*.

ILle tui ſimilis qviſqvis cupit eſſe, Lycei
*Civis erit putus*, qvem ſtuduiſſe decet.
Qviqve ſtudes pius, & morem geris undiqve ſummis,
*Civis* abhinc cœli *putus* & aptus *eris*.

Ad

XXXIV.

Ad Johannem Morianum, Lubec.

*Morian: Animor.*

VIx, ubi bella fremunt, Muſas *animare* licebit,
Tu tamen has *animas*, ac *animaris* eis.

XXXV.

Ad Johannem Hackium, Raceburg Sax.

*Raceburgenſis: Crebriùs agens.*

MUlti nil agitant, agitantur at undiqve multis:
Tun' agiteris? *Agens crebrùs* arte vales!

XXXVI.

Ad Gregorium Schröderum, Regiom. Boruſſum.

*Gregorius Schroederus*
*Sudore ſurges, corrige.*

S*Udor* ad eximiam virtutis *ſurgere* laudem
Efficit & mores *corrigit* usq; malos.

Tu

Tu qvoqve non ſegnis *Sudore* per aſpera *ſurgens*,
Injuſtum mundi *corrige* judicium.

XXXVII.

Ad Anton. Gunterum Cnautum, Friſ.

*Cnautus: Tu canus.*

Sis ætate licet non *canus*, amice; vocandus
Mente fideq́; tn. *tu* mihi *canus* eras.

XXXVIII.

Pro Incolumitate Adolphi Friderici Theſant, Menſæ noſtræ valedicentis.

COelica turba tibi pede *ſtante* † fideliter *aſtent*, †
Ne pede fortè tuo damna labante feras.

† *Teſant: Stante, aſtent.*

XXXIX.

In DECAD. Carminum Celſiſs. Princ. ac Duci Meclenb. DN. CHRISTIANO An. 1658. d. 1. Dec. conſecratorum.

*Decas:*

PArva *Decas* facie ſi non dignaberis ejus (inde *cades*

Cui ſacra, qvâ minimè digna, ſub-

Ergò lubens *cedas* à limine Principis, ultrò

*Cedas* Heroi qvi meliora ferunt.

XL.

## *DECURIA*

per 6. Anagrammata.

(1) *Cura DEI.*

In Decuriam Anagr. ad Rev. ap. Roſt. Miniſterium.

HÆcce Miniſterio ſit ſacra *Decuria* noſtra,

*Cura DEI* ſanctum qvippe Miniſterium.

XLI.

(2) *Adcrevi.*

In Decur. ad qvosdam Conterraneorum.

A*Dcrevi* reliqvis, noviter qvæ jure cohorti

*Meclenburgiacæ* ſunt data, Carminibus.

Sed

Sed tamen *adcrevi* qvia venâ frigidiore, (bono.
Me foveas animo, Lector amice,

XLII.

(3) *Care Diu.*

In Decuriam Anagr. ad Magnif. p. t. Acad. Rectorem
DN. MICH COBABUM,
Th. D. & Math. P. P.

OB Caput hæc præſens cui lux acclamat *Amandi*:
(*Care diu* vigeas!) ſis mihi *cara diu.*

XLIII.

(4) *Ei cruda.*

In Decur. ad Phil. Magiſtror. Decuriã.

TU ſi forſan *Ei* qvam laudas *cruda* videris, (hi *cruda* ſubeſt.
Mens tamen hautqvaqvam, dic, mi-

XLIV.

(5) *I ducare.*

In Decuriam Anagr. ad Scholam Roſt. (ctis,

I ſine felle Viris *ducare Decuria* do-
, Nec ſine te *Ducibus ducier* hisce ſinas.

*Dux*

*Dux* tibi, qvem celebras, cumprimis primus at eſto:
Hic contra Momum vindicis inſtar erit.

XLV.

(6) *Dic vera.*

In aliam Decur. embryonem adhuc & anonymam.

FAlſa licet multi referant dixiſſe Poëtas;
Tu tamen iſta fugans *dic*, mea, *vera* Viris.

XLVI.

*Seſqvidecuria: Diu reqvieſcas.*

In Seſqvid. Anagr. ad Commenſales.

NEſcia qvæ profers limæ tineisq; ſacranda,
Reſpicienda min⁹, deſpicienda magis,
Jure tibi (*reqvieſce diu* mea ſisq; ſepulta)
Dixero, ſed reqviem proſiliendo fugas.
Ergo fuga, luciq; tuas expone tenebras,
Sed reqviẽ doctis ritè precare Viris.

# EPIGRAMMATUM M. A. D. HABICHTHORSTI Büzav. Meclenb. P. L. C.

*AD*

*Magnificum, Nobiliſs. & Eminentiſſimum*

VIRUM

DN. ANDREAM PRIZBAUREN,

Celſiſs. Duc. Mecl. DN. GUSTAVI ADOLPHI Conſiliarium intimum & primarium,

*FASCICULUS PRIMUS.*

I.

Ad Lectorem.

LUmine metra carent; etenim ſub
tegmine lecti
Luminibus clauſis plurima ficta ſcias.

 Ad

II.

## Ad Mæcenatem meum Dn. ANDREAM PRIZBAUREN.

*Metra tuis oculis meritò revidenda ſacrabam:*
*Te duce conſpicitur gratia namq́; Ducis.*

III.

## Ad miſericordem Cœli terræq́; Monarcham.

IN cœlis habitans miſerum non deſpicis orbem,
Deſpicit aſt humilem terra ſuperba Virum.
Reſpice noſtra DEUS commiſſæ tædia culpæ,
Ut me deſpiciat terra, deinde feram.

IV.

*De Sereniſs. Princ. ac Dom.*

# DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Duc. Meck.

NOmine tranſpoſito celebri Gu-
STAVUS habetur,

AUGUSTUS: terras auget amatq; ſuas.

V.

## *Heptalogi Salvatoris Oraculum*

I.

N*eſcius objecti populus crucifigere geſtit,
Aſt*: Pater ignoſcas, *hem! cru-
cifixus ait.*

*Quisquis es ignoſcas, homo, pro lædenti-
bus orans,
Viq; precum* Chriſti *crimina cuncta
ruent.*

VI.

2 O*Rba videt genitrix nati tormenta
doloris,
Diſcipulo moriens:* en tua Mater! *ait.*

*Tu valedicturus fidisq; DEOq; propinquos*
*Trade, nec in dubiis ſpes tua firma cadat.*

VII.

3. Q*Vi reſipiſcendo pœnas ob furta luebat,*
*Latroni regerit Rex:* Cape regna, patent.
*Juſta feras animo commiſſæ tædia culpæ,*
*Tum quoque Supremi regna ſubire licet.*

VIII.

4. S*olati cupidus clamat ſolaminis autor:*
Mi DEUS! afflictum cur tua cura fugit?
*Deſeritur* CHRISTUS, *cupidum te gratia nunquam*
*Deſereret, fugiens ſi mala, vota feras.*

IX.

5. D*Ivitis, unde bibunt homines, ſitis ora* Jehovæ
*Torret, ob id:* ſitio, *voce tremente gemit.*
*Abſtineas luxu qvi cœlica fercla cupiſcis:*
*Lurco merum ſitiens ſemper egenus erit.*

*Omnia*

X.

6 OMnia perpeſſus pro noſtrûm crimine flagra,
Nunc conſummatum nobile, dicit, opus.
Continues curſum patiens crucis, inde triumphum,
Et conſummatum voce ſonante canes.

XI.

7. MOrte ſuâ vitam cupiens reparare, citante,
Ah Pater hanc animam ſuſcipe! voce gemit.
Mors properat! Sceleri ſis mortuus, inq́ʒ potentes
Mens tua tranſcendet ſuſcipienda manus.

XII.

Ad DN. PETRUM GÔZIUM,
Med. D. & Com. Pal. Cæſ.
Meum & DN. M. HENR. AMSELII,
P. L. C. Promotorem æſtimatiſſimum.

ACcipitrem nec non Merulam tua dextra beavit,:
Te canit hinc Merulæ, vox canit Accipitris. Rauca

Rauca ſed *Accipitri*, *Merulæ* vox ſvavior: ergò
Rauca tibi grates, vox tibi ſvavis agit.

XIII.

De AUG. VARENIO, Th. D.
Hebraicorum & Catech. Chriſt. in
Acad. Roſt. Profeſs. celeberr.

*QVando Profeſſoris ſibi credita munia curat,*
*Omnem, qvod miror, ſemovet ipſe librum.*
*Scilicet ex libris qvæ multi dogmata promunt,*
*Ille velut digitos commemorare valet.*

XIV.

Ad Dn. MICH. COBABUM,
Th. D. & Math. P. P. Hoſpitem
meum venerandum.

*EX variâ menſam Studioſi gente ſalutant,*
*Bis tamen hos vincit natio noſtra Viros:*
*Eſt numerus vincens & honor: qvi credere nolit,*
Meclenburgiacum *Te modo connumeret.*

Ad:

XV.
Ad Dn. STEPH. HANEN, ap. Güſtrav. Concionatorem aulicum & Cathedralem.

*Guſtravij tibi ſumma favet, favet infima ſedes:*
*Cur? utriusq; viget te* vigilante *ſalus.*

XVI.
De M. JOSUA ARNDIO, Celſiſs. Duci Meclenb. Dn. GUSTAVO ADOLPHO à Concion. & Conſil. ſanctiorib:

*Quisquis es hunc lædens* Dominum *læſiſſe puteris:*
*Namq; DEI ſimul ac Principis eſt oculus.*

XVII.
Ad Dn. HENR. RHANEN, J. D. & Prof. Acad Seniorem.

*TE Caput exornat niveum, niveumq; decebat,*
*Qui Studiis* Senior *ſimul ac ætate Lycei.*

XVIII.
De PETRO GÖZIO, Med. D. & Com. Pal. Cæſ.

GOzius è terrâ nos ad ſublimia laurus
Vexit, ut hinc mereat dicier ille
DEUS.

XIX.

Doctor Juris Degener.

QVi ſitit argentum, re caldus & alſus in urâ,
Doctorem Juris nunc utriusqve vocant.

XX.

Ad Dn. AUGUST. VARENIUM, Th. D. & Hebraic. Prof. P.

SIc ego Vernaclis ſacra vix memorare valebo,
Tu velut Ebræis ſpargis ab ore ſonis.

XXI.

Epitaph. Celeberr. Poëtæ ANDR. TSCHERNINGII.

ANdreas ſitus hîc Tſcherningus! cætera miſſum
Nomen ad Eoos dicit & Heſperios.

XXII.

In ejusdem Carmen de AURO Typis curante Viduâ exſcriptum, & Phil. Candd. qvibus deſtinaverat inſcriptum.

De

DE rutilo qvæ metra dedit Tſcherningius auro,
Aurum cum ſapiant, aurea dona merent.

XXIII.

Ad DN. ANDR. SCHMALBACH, Reip Roſtoch. Senatorem.

HAut rivus tenuis tuus eſt ſed latus & ingens:
Undiqve Conſilio profluis inde tuo.

XXIV.

Ad qvendam J. U. D.

HÆc ſi conjunctim ſine punctis trina legatur
Litera, promeritum fœnore nomen habes.

XXV.

Ad Buſſum

Carmine ſincerum & æqvum ſe falsò pronunciantem.

QVis te ſincerum qvis & æqvum dixerit, ore
Dulcia qvi profers, ſcoptica corde foves?

In

## XXVI.

### In Nuptias
### DN. M. ALB. HINKEN,
### Senatoris Güſtrav.
### & Virg. ELIS. LEMKEN,
### Roſtoch.

### *Scazon.*

SAt *claudicaſti* derelictus uxore,
Et *claudicaſti* deſtitutus experto
Amice, conſvetudinis ligamento.
Poſthac *ſalito* conſecutus *agnellam*,
Probâ *ſalito* ſublevatus *agnellâ*,
Fidæ *ſalito* conjugatus *agnellæ*.
Sed *claudicantium* caveto divellas
Inſtar luporum conſecutus *agnellam*.
Sis *claudicans*, Alberte, forſan iratus;
*Saliens* ſed eſto conjugatus *agnellæ*:
Manſveta tandem ſitq; ſemper *a-
gnella*!

## XXVII.

### Ad Eundem
### de ipſius Conjuge amore plena.
### *Die 2, Nuptiarum.*

Cur

CUr magis ac primùm tua nunc meditatur amorem?
Hanc quia per noctem facta Magiſtra fuit.

## XXVIII.

## Ad Dn. M. JOACH. HERMETEM,

Paſtorem Brunovienſium, olim Præceptorem meum.

HÆc mea ſi forſan videas, me primitus artes
Ex veſtro, referas, fonte bibiſſe, licet.

## XXIX.

## Ad Dn. M. BLAS. GRABIUM,

Sch. Roſt. Rect. olim Præcept. meum.

ANtè qvidem titulis ſuperans te, rurſus iisdem
Diſcipulus ſuperor, nec tamen invideo.
Præmia Diſcipulus gratatur amore Magiſtro,
Illeq; Diſcipulo fauſta favore canit.

Ad

## XXX.
## Ad Eundem.

*Cur tibi non citius Juveni data laurea? noſti,*
*Quod reſonant veteres:* ſat citò qvod benè fit!

## XXXI.
## Ad Nævolum Fiſcalem.

*Tu nimiùm* fiſco, *nimiùm tibi* fiſcus *adhæret:*
*Forſan habet nummos qvi tibi* viſcus *erunt.*

## XXXII.
## Ad DN. BERNH. GOSMANNUM,
### Theol. D. Phyſ. & Metaphyſ. Profeſs. nunc Stralſundenſium Paſt. primarium.
### *Pro licentia Collegium aperiundi Metaphyſicum.*

IN nobiliſſimam Scientiam (ſummo Sapientiæ Scientiæq; ducente Autore, Conterraneisq; nonnullis Rogantibꝰ) Collegium, Vir excellens Scienti-

Scientiarum Doctor & Propagator,
Orſurus, en veſtros adire ſubmiſſus
Lares tenebor, ſedulò rogaturus
Veſtrum favorem candidumq́; conſenſum,
Qvem nuper inſcius, remitte, neglexi.
Proin voluntas veſtra, Vir Profeſſorũ
Lumen, decusq́; grande ſeculi, fiat!
Obedientiam ſubinde promitto,
Deoq́; te domum tuamq́; committo.

## XXXIII.

## In Album JOH. REUTERI, Guſtrav. LL. Cand.

Q*Vi meus es* **Treuer** *verſo Cognomine* **Reuter/**
Fidus *ſisq́ mihi*, fidus *eroq́ tibi.*

## XXXIV.

## De Menſâ Cobabianâ.

*QVæ ſtomachis condit lepores animisq́ lepores,*
*Judice me nihil hac ſvavius eſſe poteſt.*
*Sed dubito qvis prævaleat: ſub judice lis eſt,*
*Dulcior anne lepus, dulcior anne lepos.*

Ad

## XXXV.
## De FRID. TOPFFIO,
### NeoBrand. Commenſale.

TOpffius *in noſtris ſibi fercula quaeritat* ollis:
*Cur? rogitas? ferclis illius* olla *caret.*

## XXXVI.
### In Ingratos qvosdam.

VOs *nec* amore *mihi*, *nec* more, *nec* ore, *nec ulla*
Re *meritas grates perſolviſſe patet.*
*Qvis vobis igitur magis eſt ingratus, Amici?*
*Ingratos homines gratia nulla manet.*

## XXXVII.
### In Nuptias
### CHRISTOPHORI FRIDERICI,
### Roſtoch. LL. C. & N. P. C.

M*ultiplicare domum res nauci creditur orbi;*
*Sed malè! vox Summi: multiplicate domum,*



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0148
DFG

*Quod DEUS eloquitur, rem nauci tunc putabis?*
*Hem! venerare magis quod DEUS eloquitur.*
*Eſt benedicta domus, quæ multiplicata vigeſcit,*
*Veſtraq; pignoribus ſit benedicta domus!*

XXXVIII.

Ad CHRISTOPHORUM CLASSIUM,

Grabov. Mecl. olim Condiſc. & nuper Contubernalem.

*De ejusdem Symbolo:*

Crux Chriſti Gloria Mea!

Q*Vi cruce ſalvati, cruce delectantur Iëſu;*
*Hinc:* Mea Crux Chriſti Gloria, *Fautor, ais.*

XXXIX.

Ad ERNESTUM SULTEMANNUM,

M*Ixta quidem profers* Sale, *ſed ſcurrilia vitas,*
Serius *hinc audis &* Vir, *Amice,* Salis.

De

XL.

De Ruſſo naſutulo.

Hunc illamq́ʒ ſuo perſtringit carmine Ruffus,
Namqve puer fatuus non ſua terga videt.

XLI.

Ad MARTINUM FREI-HUBIUM, Boruſſum,
De Præcognitis Metaph. me Præſide diſput.

Sic tua curriculi faciet præſtantia nobis
Principium, noſtri flos ſpecioſe Chori?
I præ, qvæqʒ ſient præcognita limina pande,
Pande ſecuturis pergrave lætus iter.
Ens ſummum voveo Comitem: Sapientia ſumma
Te Sophiæ cupidum divite meſſe beet.

XLII.

Ad JOH. HACKIUM, Raceb. Saxon.
Commenſalem, Poemata mihi donantem.

QVòd mihi donavit tua dextera liberalibrum,
*Id mea grata refert libera Muſa libris.*

XLIII.

Ad Amicum
Velatam fœminarum obviam aliqvando venientium faciem miratum.

QVid tectam dubiè faciem miraris? earum
*Podex & facies ſunt in honore pares.*

XLIV.

Ad Fatuum Studiô incivilem.

QVale tuum Studium, ſi tu ſus eſſe ſtudebis?
*Qui ſtud ô ſus es, non Studioſus eris.*

XLV.

In Nominalem
ANDR. SCHRöDERI,
Büzav Mecl.
Conterranei mei. An 1657.

Affert Noſtra Dies Riſus, Et Amice Süavis,

Nos

*N os ut lætemur ſuaviter ecce monet.*
*D igneris mecum (qvid enim? nomenq́; ſo-*
*lumq́;*
*R ex nobis patrium reddidit orbis idem!)*
*E xultando, DEUM precibus compellere, clarum*
*A ndreæ faciat ſæpe redire diem.*
*S unt hæc vota tui, Te qvi ſincerius ardet:*
SCHRöDERUS *ſtudiis creſcat ubiq́; ſuis!*

## XLVII.

## Invitationis ad Collegium Poëticum Renovatio.

COllegii, qvod intimavimus nuper
Poëtici (vernaculumq́; docturi
Metrum, ſimulq́; fœtidas vocaturi
Limâ ſub incudem poeticâ ſordes,
Qvas ſæpè metra ſæpè noſtra vernacla
Invita ſuſtinere cogitur lingva.)
Caput dabit futura lux Jovis, caudam
Anni dies currentis ultimus tanget.
Sed antè præcedente luce, nimirum

Qvæ

Qvæ ſeptimanam diſſecare conſvevit,
A prandio primâ ſonante conventus
Fiat (meum patet ſubinde Muſeum
Me viſitaturis) ut eligant horam
Qva convenire commodè qveant omnes.
Promitto, conſcribetis ante diſceſſum
Carmen politum: jure poſtmodum riſus
Non ſuſtinebunt metra veſtra Frontonum;
Cenſura non vexabit illa doctorum;
Qvin potiùs irridebitis dehinc ſordes
Qvamplurimorum metricas. Adeſtote!

## XLVII.
## Ad Dn. JOH. ENGEL,
Büzavl in Patria mea
Eccleſiaſt.

*Fungeris* angelico *vigilanti munere curâ,*
*Convenit hinc rebus nomen, Amice, ſuis.*

Ad

## XLVIII.

### Ad Mæcenatem meum DN. ANDREAM PRIZ-BAUREN, Celſiſs. Duc. Mecl. Conſil. graviſs.

*EX metrico quæ dona penu tibi vilia promſi,*
*Nil ſunt officiis æqviparata tuis.*

## XLIX.

### Ad Eundem.

*PRincipium memorat, memorat tua nomina finis:*
*Et ſic utramq; tu facis mihi paginam.*

## L.

### Ad Lectorem de Eliſionibus.

*POſteaqvam Laurus mea tempora fulgida fecit,*
*Ac Libertatem ſcribere metra dedit.*
*En mihi libertas (qvis non obſtacula vitet?)*
*Vix elidendi qva ſolet eſſe fuit.*

# EPIGRAMMATUM
# M. A. D. HABICHTHORSTI,
Büzav. Meclenb. P. L. C.

*Ad*

*Pl. Reverendum, Clariſſimos, Literatiſſimos*

# DN. M. CHRISTIANUM HESSÆUM,
Eccleſ. Büzavienſis Paſtorem,

# DN. HARDOVICUM MEINEKENIUM,
LL. antehac Cult. jam ap. Büzav. Organiſtam & Oeconomum.

*FASCICULUS SECUNDUS.*

## I.
## Ad Lectorem.

*QVisqvis carmine digna perpetrabit,*
*Is nec Carmina noſtra non amabit.*

II.

## Ad Dn. M. CHRISTIANUM HESSÆUM, Et Dn. HARDOVICUM MEINEKENIUM, Fautores apprimè colendos.

*SOl redit ad punctum! dat munus amicus amico!*
*Verſû cum Vates ſed dare munus amat.*
*Ergò,* Virûm *qvod porgo tibi*, par nobile, *donum*,
*Reſpice nec junctas deſpice qvæſo preces.*
*Euge, precor, ſuperes multos feliciter annos:*
Lætor *Heſſe sies!* MeInIChe DIm *fVges!*

III.

## CHRISTI Meritum laborioſum. Parodia.

*MUlta tulit paſſusq́; DEUS ſudavit & arſit,*
*Qui cupit optatam lapſis reparare ſalutem.*

DEUS

IV.

DEUS longanimus.

MUlta videt patiturq́ꝫ DEUS connivet & aufert,

Qvi cupit optatum MERITI contingere finem.

V.

De Sereniſs. Principe ac Dn.

DN. CHRISTIANO,

Duce Meclenburgico,

Principe ac Dn. meo gratioſiſſimo.

CHRIſtum defendit, STI patus brachia tendit,

Acer adeſt pœnis NUSqvam ſubtractus egenis.

VI.

De Eodem.

Cautus Habenarum Rector Iurata Supremi

Tractans, Ius Acuit Nec Vitioſa Subit.

VII.

CAndor Habet Regimen, Ius Subveniendo Triumphat,

Inſtaurator Adeſt Noſtraq́ꝫ Vota Sitit.

# ACROSTICHIS.

| | | |
|---|---|---|
| CHRISTIANUS | Cunctis | Celebratur |
| | Celſa | Columna, |
| Horridus | Hæreticis | Heros, |
| | Heliconius | Hector. |
| Regula, | Regnator | Rarus, |
| | Rectorq; | Refulgens. |
| Inſignis, | Iuſtus | Iudex, |
| | Ingensq; | Iuvamen: |
| Sangvis | Sacratus | Superis, |
| | Sapientia, | Sidus. |
| Thelemachus, | Tutor, | Theſaurus, |
| | Terq; | Timenda |
| Janua | Iuſtitiæ, | Iucundus, |
| | Idoneus, | Ignis. |
| Antiſtes | Animoſus, | Adaugens, |
| | Arduus, | Aeqvus, |
| Noſter | Nauclerus, | Nutritor, |
| | Nobile | Nomen, |
| Utiliter | Virtute | Vireſcens, |
| | Undiqve | Vivax, |
| Sceptro | Supplicium | Sumens, |
| | Sublimia | Sectans. |

## IX.

### VERSUS QVADR.

CHRISTIANUS Princeps Heroum Nobile Lumen
Princeps Illuſtris Servans Solamen in arctis
Heroum Servans Nomen nitidiſſima Stella
Nobile Solamen nitidiſſima Stella coruſcans
Lumen in arctis Stella coruſcans Chriſticolarum.

## X.

*Ad Generoſ. & Splendidiß.*
Dn. FRID. à BUCHWALD,
*Celſiß. Duc. Mecl.*
Dn. CHRISTIANI
*Vicarium.*

SYlva bonis locuples tua, *Vir generoſe*, qvid obſtat,
Qvo minus *accipitrem* me ſatiare qveat?

XI.

*Ad Dn.* ERNESTUM BUNSOVIUM,

*celebrati modo Principis Conſiliarium intimum, & Canonicum Razeb. Seniorem.*

COnſilio recreas præcelſam *ſerius* aulam,
Te Ducis ut recreet *ſerius* inde favor.

XII.

*Ad Dn.* HIERONYMUM à DORNEN,

*Eqvitem, Capitaneum in* Möllen *eminentiſſimum.*

SPina tibi nomen ſed non ſimul indidit omen,
Crederis haut *Spina* ſed ſatus eſſe roſâ.

*Ad*

XIII.

*Ad Dn.* DANIELEM JANUM, *Superintend. Güſtrav.*

Janus erat bifrons: Ephoros hæc ornat imago.
Hinc, Superintendens, nomen & omen habes.

XIV.

*Ad Dn.* PETRUM GISENHAGEN, *Not. Publ. Affinem pl. colendum.*

Qvem magis amplectar, cujus mage nomina cantem,
Qvam mea per thalamum qvi ſibi ſponſa fovet?
Qvod tibi contribuas, data cui Soror unica Patris:
Tu mea per thalamum nomina juncta foves.

XV.

*Laurea Poëtas excitat.*

LAurea qvando movet neqveunt reqvieſcere Vates,
Vena Poëtarum per ſua ſerta calet.

Ergò me viridis qvia vatem Laurea fecit,
*Göziadæ* Comitis contribuēte manu,
Non mihi qvis vertat vitio, ſi laurus ad artem,
Et metra non rarò ne recolenda trahat.

XVI.

*In Obitum celeberr. Viri*

Joh. Georg. Dorſchei,
Th. D. & Prof. in Acad. Roſt. primarii.

*Occubuit Doctor Dorſcheus Nobile Nomen*
*Doctor Theioſophus Sophiæ Tutamen Honorum,*
*Dorſcheus Sophiæ Lumen Clariſſima Stella.*
*Nobile Tutamen Clariſſima Stella Reluctans*
*Nomen Honorum Stella Reluctans Hæreſiarchis.*

*Cauſa*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0162
DFG

## XVII.

*Cauſa mutationis literarum in Anagr. 14. Faſciculi 3.*

*ad* BERNHARDUM GOSMANNUM,

*Th. D. & Paſtor. Stralſ. prim.*

QVod ſit in hoc celebri mutatio nomine facta,
Cauſa ſubeſt: Senſus non violandus erat.
Qvid? mutata † notat Reditum; ſed qvando Redibit?
E proin, Egreſſum, qvæ notat, apta fuit.

† R *mutat. in* E.

## XVIII.

*Ad M.* CHRISTIANUM HESSÆUM,

CLaudicat *haut currit*, tibi qvod, Reverende, volumen
Offero, cur? procul hinc namqve *Caballus* erat.

*Vina* Poetarum celerem ſtatuere Caballum,
Qveis eqvitant metrum deproperantq́; ſuum.

## XIX.

*In Nuptias alicujus ſecundùm Sponſi d. converſ. Paulinæ celebratas.*

PAulus ut ad Chriſtum convertebatur, ab altis
Illuſtrabat eum lux radioſa DEI.
Tu qvi Paulina modò linqvis priſtina luce
Ex viduoq́; novus, Vir pie, Sponſus eris,
Illuſtreris item, tibi lux Paulina coruſcet,
Ne cruce ſed Pauli luce fruare diu.
Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Tempora conjugii denotet alma tibi.

## XX.

*Ad HENR. WITTMEJERUM, J. C. & Senat. Büzav. prim.*

*Curia*

CUria te curat, ſed curas Curia gignit,
Ut fiat, cures, Curia cura DEI.

XXI.

*Ad JOH. JOACH. STÖVERUM,*
*Civ. & Cereviſ. Roſt. Matris Obitum lugentem.*

PRopulit en mortem *Stöveria* morte *propulſa:*
Te mors ne *pellat*, *pellito* triſtitiam.

XXII.

*Ænigma ad HARDOVICUM MEINEKENIUM,*
*Organiſt. Büzav.*

ORe nihil loqvitur, tamen undiqve vocibus aures
Afficit atqve modos manibus pedibusq; figurat.

XXIII.

*In Garrulum quendam.*

LIngva ſilendo valet, lepidarum neſcia rerum,
Qvæ diſcumbentes non recreare valet.

Ergò ſilere minus qvia, Garrule, garrula ſvevit
Nec recreare valet, nil tua lingva valet.

## XXIV.

*In breviſſimæ Staturæ hominem præpoſterè breviora carmina eorundemq́; Autores cavillantem.*

ES brevis atqve tui minimum caput ordinis ipſe:
Cur tibi cur præfers longa proinde brevi?

## XXV.

*Cauſa retractationis ad Amicum cereviſiam poſt vini hauſtum propinantem.*

Cur ego vobiscum non ſumſero pocula qværis?
Acceſſum *famuli* deſpiciebat *herus.*
Sunt *Bacchi Dominus*, Cereris ſunt pocula *ſervus:*
Hinc metuit *Domini ſervus* inire domum.

XXVI.

*Ad* OTTONEM GROSCREUZIUM,
*Sed. Pom. cum Ph. Mag. crearetur.*

O TTO*nem Studiis. e* O *tam conamine* TOTO
T *ranſegiſſe patet, vi* T *am: nunc præmia tolli* T
T *erſa, debinc vic* T*or ſic alta voce triumpha* T:
O TTO *crucem vici, pr*O *in lætor pector* TOTO!

XXVII.

*Ad Eundem.*

C*rux* tua, qvæ dubio procul *ingens*,
lucis in orbem
Tranſcendit ſimul ac *gaudia magna*
parit.

*Ad*

## XXVIII.
### *Ad HARTMANNUM MORINGIUM,*
*Roſt. cùm laureâ Magiſtr. redimiretur.*

Audis *Vir* eqvidem prænomine *durus*, at arte
Emolliſſe tuos te *mores* laurea teſtis.

## XXIX.
### *In perverſos Decuriarum qvas adornare ſolitus interpp.*

FOrtè laborantem qviſqvis me ponderat ex his
Argentanginâ, fallitur & malꝰ eſt.
Haut nummos, ſed, Amice, tuam deſidero frontem,
Frons ſit aperta mihi, clauſa crumena mihi.
Nec ſit ob id, ſi fortè cui perſolveris aſſem,
Frons rugoſa, tuus fons mage proſiliat.

## XXX.
### *Ad M. CHRISTIANUM HESSÆUM,*

Chriſtiani

CHriſtjani *Patriæ venerabile nomen habetur,*
*Dux qvia* Chriſtjani *nobile nomen habet.*
*Tu venereris item, qvia non modo nomine fulges,*
*Sed qvoqve* Chriſtjani *candidus omen amas.*
*Nemo DEO magis atqve piis reverendus habetur,*
*Qvam qvi* Chriſtjani *nominis omen habet.*

XXXI.

Ad Erneſtum Sultmannum, Architectonicæ milit. callentiſs. Faſciculi prioris Epigramma 39. liberaliſſimè compenſantem.

D*iſtichon argento penſas. Ditiſſimus eſſem,*
*Cuncta mererentur ſi tantum diſticha do-* (num.

XXXII.

Præmia dantur immeritis.

N*On eqvus acqvirens meritam ſortitur avenam,*
*Sæpius at ſtabulum qvi premit ille capit.*
*Sic*

*Sic homo non meriti ſemper ſua præmia tollit,*
*Sæpè ſed haut meritus præmia captat iners.*

XXXIII.

Ad Joh. Leonh. Cruſium,

Roſtoch. LL. hactenus Stud. jam Celſiſs. Duc. Mecl. Dn. CHRISTIANO à literis ſecretioribus.

A*ulæ, non vitæ ſupereſt tibi cura ſtudentum;*
*Vivere cum Ducib⁹ major habetur honos.*

XXXIV.

Ad Chriſtoph. Fiſchenbecium,

Sch. Büzav. Rectorem.

CHriſtiferes, *pueros dum formas ore tenellos:*
*Qui pueros, ipſum ſuſcipit ille* DEUM.
Matth. 18. v. 5.

XXXV.

Ad Johannem Henningium,

Cantorem Büzav.

O*fficio thalamoq; ſimul tua nomina quadrant:*
*Nam* vigil *inq; choro* præcinis *inq; toro.*

Collegii

## XXXVI.

## Collegii Poetici Intimatio

An. 1660. Dom. I. poſt Epiph. facta.

DEſideratur! qvid? rogas? Collegium.
Sed qvale? num Poeticũ? Poeticum.
Sed an Latinum? neutiqvã: Germanicũ,
Poeſios Germanicæ Collegium,
Orthographiæ Germanicæ Collegium,
Et puritatis lingüæ Collegium.
Aſſurgo curâ qvos ſubit Collegii,
Qveis intereſſe convenit Collegio,
Et intimo Poeticum Collegium.
Sed euge, præſto ſis freqvẽs, Collegium!
Freqvens (notato) præſto ſis Collegium!
Si non freqvens delector haut Collegio.

## XXXVII.

## Ad Hard. Meinekenium, Org.

POſſe DEUM pedibus celebrari Fronto negabat;
Te pedibus manibusq; tamen celebrare, nec illis
Qvenqvam nobilius Te munus obire, docebam.

## XXXVIII.

## Fructuoſa Juris tortura.

Jus

J*Us nimium* torqvent, *ut jus* extorqveat *aurum*,

*Sæpeq́ʒ ne dicat* tormina, torqvis *adeſt.*

XXXIX.

In Longum qvendam.

L*Ongus es & laxo* (*ſpectate!*) *videris amictu*,

*Et* longè *ſapiens inde videre tibi.*

*Sed malè! per* longum *tua cum ſapientia corpus*

*Diſcurrit*, brevior *plus rationis habet.*

XL.

*Votum Januarium*

Ad Pl. Rev. & Excell.

Dn. D. Cobabi Convictores,

Amicos & Commenſal.

meos ſvaviſs.

L*Ux nova dona cupit: ſed ubi ſunt dona? Poëtis*

*Pauperies etenim Comes eſt conjuncta. Qvid ergo?*

*Pro donis*, JUVENES! *pia vota reponere prodeſt:*

*AnnVs eat LætVs, Magnos DeCernat honores!*

Ad

## XLI.

Ad Bartol. Roloffs, Curlandum, & Joh. Hackium, Raceb. Sax. diverſæ Staturæ Commenſales, qvorum nomina reſpuebant Anagrammatiſmum.

*Nomina cunctorum qvas ſortes paſſa libenter,*
*Veſtra negant, dedit hinc Patria † materiem.*
*Fors cauſam rogitant? dabo ſi modo reddere fas eſt:*
*Alter eras* major, *ſed* minor *alter eras.*

† Vide Faſcicul. 5. Anagr.

## XLII.

Ad Bart. Roloffs, Curlandum.

*Te tua commendat facies, Statura refulget,*
*Condecorāt mores, cultaq; lingva probat.*

## XLIII.

Ad unumqvemqve Commenſalium.

Sic

*Sis brevis, ad potum ſi venerit, ut citò poclum*
*Excipiant ſocij reducemq́ recurrat in orbẽ,*
*Exhilaretq́ ſua virtute ſubinde Poëtam.*
*Sed tu. & verſato priùs qvid ferre recuſet,*
*Qvid valeat Stomachus: Si non Tibi fortè voluptas*
*Potandi fuerit, prout eſt mihi, redde propinqvo,*
*Sæpius ut tangat ſitientes ordo bibendi.*
*Pocula pota placent, decies epota placebunt.*

XLIV.

## In qvendam Verſus hoſce antehac jam editos ſiniſtrè accipientem.

*Dic, qva fronte feris hæc metra moventia poclum,*
*Crebrius ac noſmet pocula qvando moves?*
*Inter prandendum potandi noſtra voluptas*
*A cœna meritò pocula cuncta fugit.*

XLV.

## Ad alium Ebrietatis me ex his arguentem.

*Ebrietatis amans mihi ſi mala vita placeret,*
*Non ita cantaſſem: Qvis propria crimina cantat?*

Ad

## XLVI.

## Ad Chriſtianum Frommium, Büz. Mecl. Roſtochio Razeburgum abeuntem.

*QVi dedit angelicis* DEUS *hæc mandata miniſtris,*
*Ut manibus ducant per loca cuncta pios.*
*Qvin diſceſſuro tibi compita tuta procurēt,*
*Non dubium: rogitas, cur?* Pius eſſe ſoles.

## XLVII.

## Ad Amicum.

*CRas nobis qvia præparant lavacrum,*
*Tu præſto cupiens ſies lavacri,*
*Hora tertia ſacra ſit lavacro.*
*Finitum decorans mero lavacrum,*
*O, dices, mihi ſvavius lavacrum!*
*Saluti benè conſulam lavacro.*

## XLVIII.

## Ad Sponſum qvendam de Conjugio Syntaxi grammaticorum adverſante.

*CUm Subſtantivis qvando adjectiva cohærent,*
*Idem ſit numerus, caſus idemq́; genus.*

*Aſt*

*Aſt hæc Syntaxis tibi diſplicet. Ergò cohærens*
*Diverſum potius qvam* genus *ardet idem.*
*Eſt eqvidem* genitivus *uterqve, ſed ille* dativus,
Ablativa *dehinc eſſe marita ſolet.*
*Et dubium,* numerus *num ſemper adhæreat idem,*
*Una cupit plures fœmina qvando viros.*

## XLIX.

## Convivium Tragicum.

*SUccreſcente die vinum ſuccreſcit, at eheu!*
*Deficiente die deficit omne merum.*

## L.

## De Eodem.

*ORtus honorificus fuerat, miſer aſt occaſus:*
*Deficiente mero deficiebat honos.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0177
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727403737/phys_0178
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727403737/phys_0180
DFG

*Ad Dn. DAN* … *ANUM,*

*Superi* …

J*anus* erat bi … s hæc or-
… go.
Hinc, Super … men & o-
… habes.

*Ad Dn. PE* … *ISEN-*
*H* …

*Not. Publ.* … *um.*

Q vem ma … cujus ma-
… tem,
Qvam mea … qvi ſibi
… vet?
Qvod tibi con … cui Soror
… Patris:
Tu mea p … nomina
… foves.

*Laure* … *t.*

L Aurea qv … neqveunt
… Vates,
Vena Poëta … rta calet.

Ergò